Ragucci


BIBLIOTECA
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
17 E
12

TRACTATVS NOVVS
DE STATV ANIMARVM
IN PRAESENTI VITA, ET IN ALTERA.

In quo præcipuè agitur,


De creatione Animæ, ac eius immortalitate.
De sede in corpore.
De ea in gratia, vel in peccato, vel in censuris.
De eius Angelo Custode, & de Dœmone Tentatore.
De exitu in hac vita, de Duce, ac via ad receptacula.
De receptaculis pœnarum, ac pœnis.
De modo intelligendi extra corpus.
De resurrectione carnis, & de Iudicio finali.
De mansionibus in gloria, de gloria Animarum, & Potentiarum.
De gloria corporum, & de gloria particulari quinque sensuum.
De alloquutione D. N. IESV CHRISTI, & Beatorum.
De modo loquendi Angelico, & de gaudio Angelorum super conuersione peccatoris, ac de alijs quam plurimis curiosis, & vtilib. scitu dignissimis.

Additis aliquot quæsitis, de pœnit. & remissione, ac facillima declaratione Casuum particularium totius materiæ sacrarum Indulgentiarum, & Iubilæi Anni sancti.

Ex piorum Scriptorum doctrina.

Opus nedum curiosum, & delectabile, sed omnibus fidelibus maximè fructuosum.

Labore Domini Abbatis Antonij Ragucij V.I.D. Canonici, & maioris Pœnitentiarij Ecclesiæ Beneuentanæ, & Iudicis Synodalis
Illustrissimi, & Reuerendiss. D. Scipionis Cardinalis Burghesij Abb. & Perpet. Commend. Sanctæ Sophiæ, Vicarij Generalis & Auditore.
Et Illustriss. & Reuerendiss. D. Alexandri de Sangro Patriarchæ Alexandrini Archiepiscopi Visitatoris & Auditoris.
Olim sub illustriss. DD. Maximiliano de Palumbaria, & Pompeio Cardinali Arigonio Archiep. Auditoris Generalis ac Visitatoris & iudicis appellationum ordinarij.





NEAPOLI, Apud Octauium Beltranum 1616. SVPERIOR. PERM.

SANCTISSIMO PATRI
& Domino nostro

D. VRBANO VIII.
PONTIFICI

Ter Maximo, ter Optimo, ter Beatissimo, Vniuersalis Ecclesiæ Pastori Vigilantissimo.

Antonius Ragucius Canonicus, & maior Pænitentiarius Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Beneuentanæ, post pedum oscula Beatorum. Perpetuam felicitatem.




QVòd annis proximè elapsis Sanctitas Tua, tres meos tractatulos excipere dignata sit, id ad hunc alium eloborandum animum fécit. Solent enim plerumq; subditorum ingenia, vel minimo Principum benigno nutu ad præclara aliqua mirabiliter excitari. Hunc itidem, vt in manus hominum fæliciter veniat Sanctitatis tuæ pedibus mitto, & illius augustissimo nomini dedico, trado, defero. Eccui securiùs, vel fæliciùs, quàm Vrbano VIII. Papæ? cuius (vt interim alia eminentis potentiæ vocabula prætercam) nomen admirabile est, & potestas incomparabilis, qui est Christi Vicarius Generalis, & immediatus post

¶ 2 eum

eum in terris Iudex, cuius os toti Ecclesiæ loquitur, qui est omnium Principum caput, & omnium potestatum summa potestas, cuius, & Dei idem est consistorium, qui est totius Ecclesiæ Iudex, & Doctor, Pontifex Summus, Sacerdos magnus, Sanctissimus, Apostolicus, Pater ter Beatissimus, Oecomenicus, Patriarcha, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham ordine Melchisedech, Auctoritate Moyses, Iudicatu Samuel, charitate Paulus, potestate Petrus, Vnctione Christus.

*D*ignetur Sanctitas tua, (quod oro, & exorare maximè exopto) humillime serui opusculum benigno oculo perspicere, & cum eo veteris meæ, sed animo continuatæ seruitutis agnoscere obsequia, & *D*eus Sanctitatem tuam diù (vt oro) Ecclesiæ suæ conseruet fælicem, & incolumem, illiusq; vigilantiam, & sancta desideria secundet. Beneuenti die xxv. Martij 1626.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO S. R. E.
CARDINALI BARBERINO.



ANTONIVS RAGVCIVS CANONICVS, & maior Pœnitentiarius Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Beneuentanæ summam fęlicitatem.



ATIS fœliciter Francisce Cardinalis Amplissime, annis proximè elapsis alij tractatuli mei in manus hominum deuenerunt sub augustissimo Vrbani VIII. patrui tui nomine, & tuo. Hunc itidem, vt pari fęlicitate in mundi lucem prodeat, eidem Sanctitati humiliter dedico, & Tibi; sperans propterea fore vbique tutum, & omnibus gratum. Accipe Cardinalis amplissime (quæ tua est humanitas, & benignitas) hoc, qualecunque illud sit, humillimi serui munusculum, & cum eo veteris meæ obseruantiæ (vt in alijs meis opusculis etiam testificatus sum) perpetuum monumentum, & Deus Illustrissimam amplitudinem tuam diù conseruet fęlicem, & incolumem. Beneuenti die 25. Martij 1626.

Author

Author ad benignum Lectorem, & in malignum·

Liuide fac meliùs, post nostros carpe labores.
Lector amans salue, Lector inique vale.

D. Cæsaris de Aquino, D. Ioannis Principis Petræ Polcinæ filij.

Si quis iter Cæli, si quis vult infera nosce
Hic clarè, & breuiter candide Lector habes.

Ad Perillust. & Reuerendiss. D. Abb. Antonium Auditorem Curiæ Archiepiscopalis, Vicarium S.Sophiæ,&c. & Patruum suum benemerentissimum,
Maximilianus Raguccius V.I.D. Sacr. Theol. Mag. Prothonot. Apost. Archipræsbyter Peschi in Tractatu de Statu Animarum in hac vita, & in altera.

O, quibus, aut terris animos, aut æthere tutos,
Ferre iuuat, præsto est, hoc via tuta libro.
Doctrina, hic Operi iuncta est, mira arte Ragucci:
Gesta calent, calamo, quod docet ille suo.

Adm Illust. ac Reuerendiss. D. Abb. Antonio Raguccio Auditori,&c. de Libro cui argumentum de Statu Animarum in hac vita, & in alteram vitam.
TheodorusMaximanus Præsbyter Societatis Iesu.

Optatam Parocho dederas, nitidamque lucernam,
Cordis vt humani panderet illa vias:
Mox orbi lumen lustrans meditare, Ragucci,
Quam mens ad superos corde soluta volet.
Illa sed in tenebris; hoc ipso in lumine lucet;
Hoc rapis à superis; est labor illa tuus.
Ergo opus vt primum placuit dixisse, lucernam:
Sol istud mundi iure vocetur opus.

Fabri-

Fabritij Montalti, Maximi Fregnet Ducis, fil j de hoc Opere.

Qui status est animæ præsens, post, quiuè futurus
Hoc opus egregium cum breuitate docet.

P. Francisci Vngari è Societate Iesu.

Eruditissimo ANTONIO RAGVCCIO de Libro de Statu Animæ in hac, & in alia vita.

Qui vitæ nobis, Cæli qui limina pandis,
Et vaga sydereis consita rura plagis.
Ne doctam, ne carpe viam. Tibi nosce sat esset:
Est cælo hoc idem viuere: viue diu.
Viue diu terræ, qui nomine viuis Olympo.
Hæc nisi te tantum sustinet; iste tenet.

Abb.Petri Pedicini Canonici Beneuentani V.I.D.

Hostibus infestis homo viuit: morte sequente
Victus habet pœnas, præmia victor habet
Strenuus, vt certat, piger vt fugit arma; recenset
Hic liber, & meritum sumit vterque suum.

D.Io. Andreæ Fratini I.V.D. Prothonotarij Apostolici Archipresbyteri Terræ Gildonis, atque in ampla Diœcesi Beneuentana Iudicis, & Examinatoris Synodalis.

AD LECTOREM.

Alta rupis Scriptorum imis excerpta latebris;
Hæc per inoffenso dogmata curre pede.

Del Sig. Abbate Cesare Machabeo, Primicerio di Beneuento, In lode dell'Opera.

QVal di colpa lo stato, ò qual di merto
Sia'n questa, ò'n l'altra, di nostr'alme, vita;
Questo libro n'insegna, e questo addita,
Qual buon Maestro ne le cose esperto.
Rendasi il Mondo già sicuro, e certo,
Che pria, che dal suo corpo sia partita
L'alma; se pur sia rea, ò pur gradita
Al suo Fattor; quì leggerallo aperto.
Quì si scorge distinto, à parte à parte
Il buono, e'l giusto à le nostr'alme guida,
Che per erto sentier conduce al Cielo.
Quì è'l sangue redentor, che molti affida
Con lor buon'opre: onde di colpa il gielo
Seura natura, si dilegua, & arte.

AVTHOR AD BENIGNVM LECTOREM.



ABES Benigne Lector, Tractatum de Statu Animarum ea fronte alteram nostrorum Operum tibi promissum, propè diem habiturus, hæc alia Opera nostra, nempè germanam, & literalem expositionem Sacræ Genesis, Tractatum de Nobilitate Ecclesiæ Beneuentanæ, & de Visitatione, Roga Deum pro me, & vale in Domino.

D E

TRACTATVS
DE STATV ANIMARVM
In hac vita, & in altera.



QVAESITVM PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Anima est immortalis incorporea à Deo ex nihilo creata, & quando, num. 2.*
3 *Reijciuntur opiniones aliquorum hæreticorum, & numero 4. vsque ad num. 7.*
8 *Animæ an sint omnes æquales, vel altera, altera nobilior.*

An Animæ sint a Deo creatæ immortales vbi, & quando?



1 DIC, quòd † anima est immortalis, & incorporea à Deo ex nihilo in embrione creata; quando infunditur corpori, & vt significantius dicam, concreatur in embrione cum corpore organizato, & est communis sententia Nauar. in Manuali prælud. 1. dixi cum cor-
2 pore organizato, nam † ante organizationem non infunditur anima, ad quod potest referri illud Aristotelis in 2. de anima scilicet, quod forma est actus corporis organici physici.

Hinc repellitur, † & refutatur hę
3 resis Arabicorum, & falsum assertum aliquot insanorum philosophorum asserentium animā esse mortalem D. Tho. 1. par. q. 7. art. 3.
Hinc sequitur etiam non esse cor-
4 poream, † vt falso tenuit Diogenes, & alij philosophi asserentes esse ventũ, vel aerem. Isiod. lib 5. Ethym. c. 5. D. Antonin. prima parte cap. 5.
Hinc sequitur non esse ante cor-
5 pus, † vt fuit hæresis originariorum asserentium animas esse creatas in Cœlo à principio mundi, Isiod. l. c.
Hinc etiam sequitur, † erraffe glo-
6 sam tenentem animam creatam priusquam corpus, & priusquā corpori infundatur, 1. q. 3. nam hoc est hæresis; Nauar. l. c.
Hinc etiam sequitur, † non esse
7 creatam, ex præiacenti materia, vt fuit hæresis Gnosticorum, qui asserebant animas esse creatas ex natura Dei, & non ex nihilo.
Sed notet hic curiosus, quod animæ omnes creantur à Deo, quando infunduntur corpori-
8 bus, † æquales specificè, idest eiusdem naturæ: sed quantum ad perfectionem potentiarum ipsarum animarum, idest, intellectus, memoriæ & voluntatis, altera est altera nobilior creata, vt anima Domini Nostri, & Beatæ Virginis.

QVAESITVM II.

SVMMARIVM.

1 *Anima quid sit.*
2 *Anima cur fuerit creata.*
3 *Anima quomodo potest suum finem obtinere.*
4 *Adultus iudicio rationis fungiens an possit iustificari lege communi non præuio aliquo actu bono moraliter suo libero arbitrio producto.*
5 *Anima est incorporea indiuisibilis tota in toto, & tota in qualibet parte totius corporis.*

Quid sit anima, & cur fuit creata.

1 DIc, quod † anima est forma substantialis corporis per se, & contrarium asserere est hæresis damnata in Concil. Vienn. c. olim 1. q. 3. §. porrò:
2 Nauarr. l. c. & fuit creata, † vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidẽdo frueretur. Mag sent. ex sent. D. August. in
3 tertio sent. d. 1. & anima † potest obtinere dictum suum finẽ fruendi Dei per gratiam, & per bona opera; & aliter asserere esset error Pelagianorum dam-

natus

natus in Concil. Mileuitano, vt habetur de conſ. d ſt. 4. & per Tridentinũ, vide Nauar. vbi ſupra aſſerebant enim prædicti hæretici poſſe hominem ſaluari ſine gratia Dei, ſolummodò per potentiam naturalem cum generali cõcurſu Dei, quod eſt falſiſſimum, ſicut falſiſſimum eſt ſine operibus aſſerere poſ-
4 ſe adultum hominem iudicio rationis fungentem, lege communi iuſtificari, niſi præuio aliquo actu bono moraliter, libero arbitrio ſuo producto, etiam ſi fide prę polleat, Nanarr. l. c. ſub num. 5. qui citat cap. omnis de confecr. d. 4. & eſt D. Auguſt. per hæc verba, omnis qui iam vitæ ſuæ arbiter conſtitutus eſt, cum accedit ad ſacramentum fidelium, niſi eum pœniteat veteris vitæ ſuæ, nouam inchoare non poteſt.

Nota hic errare eos qui crederent animas eſſe diuiſibiles, vel habere parua corpora, vel membra, correſpondentia membris cor-
5 poris, nam † anima eſt incorporea, & indiuiſibilis, & eſt tota in toto, & tota in qualibet parte totius corporis, quo ad eſſentiã ipſius animæ, vt eſt Deus in toto mundo & qualibet parte totius, & eſt communis ſententia D. Thom. 1. par. q. 8. art. 2. ad tertium, & q. 76 art. 8. & prius eo D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. vt eſt etiam ſanctiſſimum Corpus Chriſti in ſanctiſſima Eucharistia. c. ſinguli, & c. vbi pars de conſecr. diſt. 3.

QVAESITVM III.

SVMMARIVM.

1 *Homo ex quibus conſtat.*

2 *Verba Apoſtoli de interiori homine, & exteriori quomodo intelligitur.*

3 *Anima ſtatim quod creatur, vel concreatur contrahit peccatum originale.*

4 *Anima quomodo dicitur concurrere ad peccatum actuale.*

5 *Dęmon an tentat nos ſupra quam poſſumus.*

6 *Cuſtodia Angelorum eſt neceſſaria, & quare.*

7 *Cognitio naturalis non eſt dęmonibus ſublata, ſed diminuta, & an cognitio per affectionem charitatis num. 8.*

9 *Angelorum officium quod ſit in nobis, & num. 10. & 14. & 20.*

11 *Angeli qualiter dicuntur nos quandoque relinquere.*

12 *Verba illa traddidit eos in reprobum ſenſum qualiter intelligantur.*

13 *Angeli quomodo in nobis ſegerant tempore mortis.*

15 *Miſsio Angelorum dupliciter*

capitur, & quomodo.

16 *Spiritus illi beati omnes dicuntur Angeli licet non omnes mittantur.*

17 *Angeli quare pinguntur cum pennis, & longa coma, ac reflexis capillis, ac cum alijs humani corporis membris.*

18 *Angeli quare sunt nostri custodes.*

19 *Angeli ante Incarnationem permittebant se adorari, quod probibitum est post Incarnationem.*

21 *Paulus V. permisit, & probauit officium Angeli Custodis celebrari ad instantiam Catholicę Maiestatis.*

An hominem constituat anima sola, vel corpus solum?

DIc, quod hominem, nec anima sola, nec corpus
1 solum constituit, sed † homo dicitur, quod resultat ex vtroq; scilicet anima, & corpore, itaq; ex horum coniunctione, vnus homo subsistit. Innoc.3. in c. quadam de celebrat. Missæ, & prius eo D.August. de Ciuitate Dei, lib.19.& D.Thom.1.par. q.75.art.4.imò.& Philop.2. de anima, nec inquit, corpus solum est homo.

Hic aduertatur, quod † per verba
2 Apostoli 2.ad Chor.c.4. de interiori homine, & exteriori, nō intelligitur, quòd pars sensitiua sit homo, vel intellectiua: & quòd separatæ sint, nam hæc fuit hæresis Tertuliani: sed qđ in propriæ totum appellatur aliquando à parte, vt in l.c. D. Pauli, sentit Doctor meus Angelicus, lect.5. Et per interiorē hominem, intelligas discursum rationis intellectualem, & per exteriorem hominem, appetitum, & incensiuum sensuum; hinc D.Paulus, iterum: Sentio aliam legem contradicentem legi mentis meæ.

Notetur etiam hic, quod † anima
3 statim atque creatur, vel concreatur, vt dictum est, cōtrahit peccatum originale, quod quomodo cōtrahat, remitto Lectorem ad Catholicos Theologos, firmo remanēti priuilegio sanctissimæ Virginis. Quomodo verò deleatur, per Baptismum, ianuam sacramentorum, post Aduētum Domini, iam clarum est, vel parùm exercitatis in sacrorum librorum lectione, vel quomodo deletum sit, tempore legis naturæ, vel legis scriptæ in dijs videre licet, & abndè habetur in mea Lucerna Parochorum (quæ nunc sub prælo in fine est) cum de Sacramentis in communi, & de Baptismo agi-
4 tur. Et † anima dicitur concurrere ad peccatum actuale per consensum, & voluntatem,

qua

qua consentit, & suggestioni sensuum siuè tētationi dęmonis, tentatoris ad malum. Namq; quælibet anima ab initio suæ creationis, sicut habet Angelū confortantē, & exhortantem ad viam gloriæ, & custodiētem in omnibus vijs suis, vt Hieron. in Matth. 18. magna dignitas animarū, vt vnaqueq; ab initio ortus sui custodiam habeat. Sic etiam adest tentator exhortans ad malum, & ad viam perditionis persuadens. non tamen cogere potest, hinc Diu. Chrysostomus super illis verbis Matth. 4. (Mitte te deorsum) persuadere inquit potest, præcipitare non potest.

Nota tamen, quod ✝ dęmon ten-
5 tator, particularis (nam omnes dęmones tentant nos ad malum) non tamen tentat nos supra quam possumus, & in hoc fideliter nobiscum agere Deus dicitur per Apost. concludo igitur, quod omnes Angeli mali, quantum eis à Deo permitti tur ad nostrum meritum, conātur trahere, nos ad pœnas, sicut omnes Angeli boni coadiuuant nos ad viam gloriæ, præcipuè verò Angelus tutelaris, Ideò Bernard. Angelus in omnibus locis est sedulus pedissequa animę quia inimici sunt sęui, iuxtà illud Petri, Vigilate, quia aduersarius vester, tamquam leo, &c. quia etiā inimici sunt plurimi, hinc Aymo. Aer, inquit iste obscurus, ità plenus est dęmonibus, sicut radius solis minimis pulueribus, & minutissimis athomis.

Ergo ✝ necessaria est custodia An-
6 gelorum, quia dicit Apostol. Ephes. 5. Non est colluctatio aduersus carnem, & sanguinē, sed aduersus principatus, & potestates tenebrarum harū, ideo rursus Bernard. si bonus spiritus se elongaret, malorum impetū quis sustineret? Nam sunt
7 astuti (quia cognitio ✝ naturalis non est illis ablata, sed tantum diminuta) propter simplicitatem suæ substantiæ, consequitur naturam Angeli, vt D.
8 Th. 1. p. licet eis cognitio ✝ per affectionem charitatis, sit sublata, vnde vt eorum insidijs resistere possimus, necesse fuit habere Angelos, idcircò dicitur Psal. 33. immittet Angelos Domini in circuitu timentium eū, & eripiet eos: In hanc sententiam dixit Origenes vult Dominus facere res mirabiles, de locustis vult superare Gigātes,
9 & D. Greg. hoc est ✝ officium Angelorū refręnare dęmones, ne noceant quantum volunt, & Hieronymus, Angelorum auxilijs liberamur ab inimicorum insidijs, & deuotissimus Bernar. quoties cernitur grauissima tētatio, toties inuoca tuum custodem, nam Angeli boni secundum August. in bono promouent, & confortant, & deside-

ria nostra gerunt ante Deum.
Nota hic de Angelis † quod no-
10 stri sunt in vita, in morte, & post mortem, quia non cessant à custodia hominis, namq; Angelus, nobis Custos deputatus numquam relinquit nos ex toto, D. Tho. 2. sent. d. 11. quamuis aliquando ex culpa nostra relinquit nos secundum quid, non tamen totaliter, nam, vt ait D. Gregorius sicut esse nostrum ex nihilo est, ità nisi manu regiminis autor omnium illud conseruaret, ad nihilum tenderet:
11 & Angeli † dicuntur relinquere hominem aliquantulum, in quantum non retrahunt eum à peccatis, & tribulationibus, numquam tamen totaliter relinquunt, vsque in finem mortis.
Et quod iuxtà illud Rom. 1. dici-
12 tur † traddidit eos in reprobũ sensum, quod scilicet permittat Dominus hominem aliquando cadere, idest ex culpa hominis. Origenes, homo inquit per ingratitudinem, & peccatum Angelica protectione se reddit
13 indignũ, Angeli etiã sunt † nostri in morte nobis seruiendo, & demones fugando. quòd figuratur Genes. 32. vbi cum Iacob timeret Esaù, habuit Angelos ad iuuandũ eum promptos, quos cum vidisset Castra Dei inquit, hæc sunt, Magna ergo erit mihi Antonio spes, & consolatio, cum in punto illius agonis, videbo Angelos occurrere mihi, & demones, qui calcaneo insidiantur, effugare. Præcipue verò Angelum meum Custodē, mihi tunc assistentem, videre, & nunc quòd me audiat, immò videat scribentem me hæc considerare, magna mihi consolatio est.
Et additur † de Angelis, quòd, vt
14 ait D. Bernar. Angelus discurrit medius inter Deum, & nos, vota offerens, dona referens, immò post mortem ducendo animas in purgatorium, & extra ducendo ad gloriam, quòd figuratur in regimine Raphaelis, versus Tobiolum, vt habetur Tob. 5. hinc canit Ecclesia, mitte Archangelum Michaelem, vt dignetur eripere animas de manu inferi. & propterea post festum Angelorum fit commemoratio defunctorum. & Bern. ait, quod Angeli expectant nostrum Aduentum, solliciti, inquit, quærunt, vt, simus eorum socij qui facti sunt nostri ministri. Hinc habetur, Luc. 16. cum moreretur mendicus, & portaretur ab Angelo in sinũ Abrae. ad quod significandum potest adduci illud Exod. 23. Introducet te Angelus meus in locum, quem paraui tibi, &. rursus D. Bernard. Non ambiguo quin gratanter locēt in palatio, quos dignanter visitant in sterquilinio magno cum gaudio.
Sed postquam huc responsio, &

discur-

discursus de Angelica prote ctione, noster euasit, sciatur insuper, quòd, vt habetur Hebr. 1. Omnes sūt administratorij spiritus, & in ministerium Missi.
15 Sed intellige, quòd missio† Angelorum ex sententia Dionysij, dupliciter capitur, vno modo ad reuelanda secreta diuina, & hoc modo omnes mittuntur, quia supremi Deo assistentes, reuelant secreta medijs, & illi infimis. Altero modo, mutando locum, & descendendo de Cœlo ad terram; & huc: hoc. Secundo modo cōmuniter loquendo, & ex eorū officio mittuntur Angeli inferiores: licet aliquando pro arduis, vt habetur Isa. 6. Mittantur etiam inferiores: volauit, inquit ad me vnus, de Seraphym, & Daniel. 7. de tali ordine loquens, Millia millium ministrabant ei, & decies millia, & centena assistebāt ei. vbi Doctor Angelicus meus aduocatus par. 1. q. 50. artic. 3. Angeli sunt immateriales substantiæ, & in maxima multitudine, & D. Areopagita l. 8. de cœlesti Hier. Multi sunt, vt excedant commēsurationem numerorum, & Iob 25. Nunquid est numerus militum eius? quasi dicat, quòd non.
16 Notandū hic, quòd omnes † spiritus illi beati dicuntur Angeli idest Nuncij & licèt non omnes mittātur, tamen omnes dicuntur Angeli propter manifestationem diuinorum secretorum D. Tho. 1. par. q. 108. art. 5. & sententia D. Gregorij, vt supra intelligenda est quoad missionē exteriorem, sed D. Thomæ, quoad interiorē inter eos, & exteriorē salua meliori sententia, & correctione sanctæ Matris Ecclesiæ itaque benè, dicitur qui facit Angelos suos spiritus Psal.

Incidit in hunc sermonem, vt aliquā de pittura Angelorū breuiter dicamus, & ideo, quod licet Angeli sint spiritus incorporei
17 tamen mysticè pinguntur † cū pennis propter promptam voluntatem, & celerem discursum eorū, ità celerem, vt sine discursu apprehendere dicantur: pinguntur longa coma; & reflexis capillis, ad significādas affectiones ordinatas eorum procedētes ex radice mentis; pinguntur eis aures, quia percipiunt diuinam inspirationem, nares, quia fugiunt peccata fętida, quòd & dęmon facere dicitur, labia, quia manifestant nobis diuina secreta, sine barba quòd in omnibus ætatibus non deficiunt, Manus, quia ad virtutem actiuam nos hortantur, cor, & pectus ad denotandam Dei fortitudinem, nā legitur, quòd vnus Angelus occidit centùm octuaginta mill. milites in exercitu Sennecherib pinguntur pedes ad denotandum liberam affectionem ad Deum sine impedimento;

mento; pinguntur etiam cum pēnis, quia sunt alieni ab affectu terreno, & eleuati in contemplatione. Vide Isiod. 7. Ethym.

18 Angeli ergo sunt nostri † custodes propter hominis dignitatem, quia natura humana est nobilitata per suam substātiam in diuino supposito, & hinc est,
19 quòd † Angeli, ante Incarnationem, permittebant se adorari, quòd prohibuerunt post incarnationem; Apoc. 19. vide, ne feceris, quia conseruus tuus ego sum, secundo propter eorū vtilitatem, quæ consistit in reparatione ruinę eorum ex salute hominum, quia saluandi intrabunt in sedes cadētium Angelorum, & propterea satis administrauerunt Angeli circa redemptionem generis humani: quia Angelus annunciauit Incarnationem, Luc. 1. Missus est Angelus, annunciauit Natiuitatem, Luc. 2. Annuncio vobis, & Gloria in excelsis, apparuit in passione confortans Iesum, Luc. 22. annunciauit Resurrectionem, & Ascensionem per Act. 1. Itaq; Angeli plurimum administrauerunt, vt citius vacuæ sedes adimplerentur.

Nota hic ex D. August. de Ciuit. Dei; Sunt Angeli Dei, & Angeli nostri, in mundo nostri, in iudicio nostri in cœlo nostri, ideò debemus cōuerti, tum propter nostram vtilitatem, quam ipsi attendunt, tum etiam, quia accumulatur eis accidentale gaudium, ex nostra conuersione, & hoc vsque ad diem iudicij: iuxta Luc. 15. Gaudium est Angelis, super vno peccatore pœnitentiam agente, de hoc D. Bernard. super Cant. deuotè, vt solet lachrymæ pęnitētię, inquit, sunt vinum Angelorum, & rursus idem, ideo in omni loco, in quouis diuersorio Angelo tuo reuerentiam exhibe, & Beda, vnusquisque nouerit se obligatum, vt veneretur collegiū Angelorum; rationem obligationis nostræ ponit August. lib. quæst. 83. quicquid fuerit diuini muneris, hoc virtute Angelorū, mittitur fidelib. vniuersis, & benè, vt dictum est supra incidit discursus hic in hodiernā diem, in qua agimus officium Angel Custodis, sed nimium digressi sumus à nostra breuitate dulcedine huius tractationis allecti, nunc descendentes ab hac alta materia, quam summis Theologis in scholis tractādam relinquimus, ad nostri instituti quæsita redeamus: Illud addentes, quod Angeli, vt ait Hilarius
20 in Matth 18. pusillum † fideliū præsunt orationibus, & quod Saluatorem per Christum Angeli quotidie Deo offerunt ambitioso eorum famulatu, vt iisdem verbis tanti Doctoris vtar. Propterea prudētissimè, & sanctis? (sicut omnia) fecisse dici-
21 tur fœl. record. † Paul. V. qui

pro-

bauit, & permisit, vt custodis Angeli officiũ celebraretur ad instantiam Catholicæ Maiestatis (quam Deus diù fęlicem cõseruet, & incolumem, ac victricem semper faciat) & aliorum plurimorum Principum secularium, & virorum Ecclesiasticorũ, quos omnes Deus fęlices faciat, qui tam bonum Ecclesię procurauerũt quod ab vniuersali Ecclesia lætissimè amplexũ fuisse (vt factum est in hac Beneuentana Prouincia) credere possumus; ego verò quòd iã desiderabã, maxima lętitia excepi.

QVAESITVM IV.

SVMMARIVM.

1 *Plures opiniones circa hoc quęsitum, & num. seqq.*

In qua parte corporis anima resideat, & an habeat aliquam sedem particularem, & principalem in corpore?

DIc quod hęc quæstio satis vẽtilata est inter veteros Philosophos, & medicos, quorum sententias breuiter referam, concludendo cum sententia sacrorum Theologorum.

1 Arist. & Chrysippus cum alijs stoicis dixerunt vnum esse locum principalem animæ in corpore scilicet, cor, quem locum appellarunt principalem, & quasi Regiam ipsius animæ.

2 Plato, Hyppocrates, † & Galenus statuerunt esse tria loca habendo rationes ad tres partes animæ, itaq; primæ parti statuerunt in capite, secundæ in corde, tertiæ parti ipsius animæ locum statuerunt in ipso Epathę, & quidam addiderunt, & quartam, scilicet in testibus, & secũdum horum sententiam, quatuor erãt principaliores sedes animę.

3 Diuus † Augustinus videtur sentire animam habitare, in sanguine, c. Moyses, 32. q. 2. & Diuus Hieronymus idem videtur tenere, vt habetur in c. ne tales de consecratione dist 5.

4 Sed horum † sanctorum Doctorũ sententia exponenda est in hoc præposito, quod anima in sanguine plurima operetur, immò dictum Hieronymi, per animã intelligitur, esse hominem animatum, vt pars pro toto capiatur, vt ibi glos. nam anima rationalis, nec augeri potest, nec minui à sui princ°. Exigitur anima tota in toto corpore, & tota in qualibet parte totius, & est forma corporis, & dat illi esse, & conseruet in esse. Et dicitur ibi magis esse, vbi plus operatur, vt in corde, vel cerebro, & hoc est ex dispositione membri, & ideo dicebat philosophus, qđ principium sensationum sit in corde, & Medici, quod sit in

cerebro; sed pro concordia, dic quod principiatur in corde, & perficitur in cerebro, & hoc pro doct s curi. fis. sed re vera dic, vt supra quod est tota in toto, & tota in qualibet parte totius.

QVAESITVM V.

SVMMARIVM.

1 *Credentes pertinaciter animã non esse in toto, & in qualibet parte totius, & quod immediate omnes partes informet sunt haeretici.*

2 *Anima in egressu à corpore an prius cor quam caetera membra destituat.*

3 *Calor in corde remanens post egressum animę vnde resultet.*

4 *Credentes animã esse paruulã creaturam, vel Angelum per corporeum, vt pinguntur sunt haeretici.*

5 *Deus pater quare pingatur sub forma grauis senioris cum orbe in manu, & Spiritus sanctus in forma Columbae.*

6 *Concordia duorum conciliorũ vniuersalium quae videntur contraria circa quaestionem an Angeli sint corporei.*

An peccent Christiani, vel sint haeretici errantes circa praedicta?

DIc, quòd peccant, nisi excusarentur simplicitate D. Th. par. 2. q. 76. art. 1. c. 2. Imò essent
1 haeretici. † si cum pertinacia. Clem. 5. cum glos. de haeret. scilicet si non, crederent, quod est tota in toto, & tota in qualibet parte totius, & quod immediatè omnes partes corporis informet. Sed quòd in corde, plusquam in caeteris membris operetur. Vbi etiam notandum
2 in † egressu animae, vt non credas, prius cor, quàm caetera mẽbra destituit: nam vno eodemq; tempore, sicut intra embrionẽ organicè praeparatũ, toti simul corpori, & omnibus eius partibus, vti forma essentialis cõiungitur: ita, & separatur.

Nec attendendus feruor, † qui vi-
3 detur remanere in corde, quia ille calor, est reliquus, ex agitatione membrorum principaliũ, ob tantam separationem, qui calor, ex corde praecippuè resultat quia prae aliis agitatur ad depelliendum contraria in illi puncti est ideò, ex agitatione calor.

Similiter si crederent † animam
4 esse paruulam creaturam, (vt pingunt pictores pro rudibus) vt infantulum vt etiam si crederent Angelum esse corporeũ, quia sic pingi permittitur cum

alis,

alis, & membris, vt supradictum est, pro institutione simplicium. vt, intelligant ex hoc eorũ simplicitatem, & puritatem. sicut
5 etiã permittitur depingi † Deũ Patrem, in figura grauis senioris que hominis cum orbe in manu, ad denotãdam eius prouidentiam, & authoritatem, vt etiam de Spiritusancto in forma Columbæ ad declarandam eius simplicitatem, & promptitudinem ad succurrendum inuocantibus, vt expertus sum sępissimè mihi Antonio Raguccio nullis meis meritis, sed solũ dignatione Maiestatis suæ, in angustijs succurrisse? Et si quandoque animæ, vel Angeli, visi sunt apparere in corporibus, hoc intelligas de corporibus aereis assumptis.

Hic obiter nota † concordiã duo-
6 rum conciliorum vniuersalium scilicet Niceni secundi, & Laterensis, vt etiam notat pinctus in Danielem c. 9. An Angeli sint corporei, nec ne? nam in dicta synod. Nyce. quidam B. Ioãnes Colossensis exhibuit librum, seu opusculum in quo habetur Angelos esse corporeos, & tamen non fuit reputatus hæreticus. In Concil. Later. sub Innoc. habetur Angelos esse incorporeos dic quòd ex sententia B. Ioannis Colossensis, debet intelligi, Deum esse simplicissimum, & respectu tãtæ simplicitatis, Angelos videri, quodãmodo corporeos, tenuissimo quodammodo, sed in Concil. Lateren. fuit habitus respectus, ad cęteras creaturas, verè corporeas. sed in his, & in omnibus alijs dictis, & dicendis tàm hic, quàm in mea Lucerna Parochorum, & in tractatu de Voce Canonicorum in capitulo & in Vasculos Ecclesiastica disciplina, & in expositione Genesis, & in tractatu de Visitatione, & alijs quibuscunque meis scriptis, remitto me ad determinationem Sãctæ Matris Ecclesiæ Magistra veritatis illud addendo, quod cum dicitur, quod Angeli apparent cum corporibus suis, vel intelligendum respectu simplicissimæ naturæ Dei, vel de corporibus assumptis salua correctione, vt supra.

QVAESITVM VI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio diuersa Aristotelis, Platonis, & D. Thomæ in hoc quæsito.*

2 *Caruncula illa ante infusionẽ animæ intellectiuæ quomodo crescit in ventre matris.*

3 *Anima rationalis est etiam vegetatrix, & sensitiua, & vitam tribuit.*

An in corpore humano sit vna anima, vel plures? scilicet vltra animam rationalem, sint ne vegetatiua, & sensitiua, vel alia?

DIc, quòd aliqui dicunt vltrà animam rationalem, & intellectiuam, adesse animam sensitiuam, & vegetatiuam, &
1 inter cæteros ita sentit † Aristoteles, imò Plato addit quartam scilicet animam vitalem; Tu dic, quòd in corpore humano, non est alia anima, nisi rationalis, & intellectiua, quę operatur effectus sentiendi vegetandi, & essēdi; D.Tho. 1.par.q.76. ar.3. & habetur in 1.de Ecclesiastico dogmate, c.1. & dubium mihi motū à medico meo excellentissimo & in theorica, & in praxi, Io.de Thosano de Airola, resoluitur, quòd illa caruncula,
2 † ante infusionem animæ intellectiuæ, crescit ex vi animæ matris, quia ante concreationē animæ futuræ prolis, est illa caruncula pars matris, & alitur etiam ipsius nutrimento. Itaq;
3 ipsa anima † rationalis, & vegetatrix est, & sensitiua, & vitā tribuit, quia altissimus his virtutibus eā decorauit, vt habeat potentias, animæ vegetatiuæ, & sensitiuę, & vitalis, vt merito ipsa anima rationalis possit appellari vegetatiua, & sensitiua vide Maior.i. dist.16. q.2. Nauar.prælud.2.num.2. & 3. in suo Manuali. Hinc sequitur nō benè sentire glosam in clem. 1. §.porrò asserentē, tres esse animas in homine, vid. D.Tho 1. par.q.77. & sequitur etiam esse falsissimum, dictum Auerrois vnam animam esse omnibus.

QVAESITVM VII.

SVMMARIVM.

1 *Anima rationalis quatenus est vegetatiua quid operatur in homine.*
2 *Animæ vegetatiuæ quot sunt opera.*
3 *Animæ quatenus sensitiua quid operatur in homine, & num.5.*
4 *Potentia sensitiua exterior, & quæ interior.*
6 *Potentia appetendi est duplex.*
7 *Potentia vegetatiua, & sensitiua an sint idem quod anima rationalis.*
8 *Qualiter peccatur circa hanc materiam de potentijs animę.*

Quid operatur anima in homine, quatenus vegetatiua, vel sensitiua.

1 DIc quòd quatenus † vegetatiua, conseruat corpus,

auget,

auget,& perficit illud, & facit, vt sibi simile generet, D.Tho. l.c.hinc Aristoteles 7.de anima
2 tria,† inquit, sunt opera animæ vegetatiuæ generari, alimento vti,& alimẽtari. Nauar. in Manual.prælud.2.num.1.

Quatenus verò sensitiua,† seù sen-
3 tiens, ipsa anima intellectiua, operatur, vt homo moueatur, & cognoscat, tàm per potentiã
4 sensitiuam exteriorem quæ† est per quinque sensus exteriores, vt sunt visus, gustus, auditus, odoratus, & tactus, quam per potentiam sensitiuam interiorẽ, vt per sensum communem, ad quem pertinet respicere interiùs conditiones eorum, quæ, quinque sensus exteriores cognoscunt,& iudicare de eis per potentiam imaginatiuam, seù cogitatiuam, ad quam pertinet cõseruare, quæ sensus communis recipit per extimatiuam, cuius est recipere intẽtiones, quas animal naturaliter percipit alio modo, quàm per sẽsus exteriores per potentiam memoratiuam, cuius est seruare intentiones, quas recipit extimatiua: & hic non habet locum phãtasia, Auicennæ, quia comprehenditur sub imaginatiua, D.Tho.l.c.q.78.

Præterea † operatur, vt homo appetat, vel spernat quę per sẽsus
6 cognoscit, & † hæc potentia appetendi est duplex, vel concupiscibilis, quam concupiscit, & vult, quę per sensus apprehendit conuenire, vel non vult contraria, quia apprehendit nõ conuenire, vel irascibilis, per quã impugnantur, ea, quæ vult potentia concupiscibilis, quæ tamen potentiæ subdantur rationi, D.Tho. loco cit.q.8.

Et hic notandum, quòd potentia
7 † vegetatiua,& sensitiua, vt supra non sunt idem, quod anima rationalis, re ipsa, eò quòd dictę potentię constant ex parte corporis,& ipsa met anima, vt, homo constat ex anima,& corpore toto, nam homo non constat ex anima solum sic potentia sensitiua, & organa sensuum hominis, non consistunt in anima sola, sed in ea,& in aliquibus partibus corporis, vide Nauarr. in Manual. prælud.2. num.4.

Notãdum etiam, quòd circa præ-
8 dicta, de potentijs † animę possent peccare, illi, qui sciunt, vel scire debent vnam tantum animam, esse in homine, scilicet rationalem,& crederent, non sentire, sed solum intelligere, vel non vegetare: Item si quis crederet, plures animas esse in homine, esset hæreticus, si cũ pertinacia,& non paratus se corrigere monitus, Nauar.l.c.nu.4. & 10.

QVAE-

QVAESITVM VIII.

SVMMARIVM.

1 *Anima intellectiua ex diuersitate effectuum quos operatur in homine varia sortitur nomina.*

2 *Effectus huiusmodi animæ intellectiuæ an sint idem quod anima, vel accidentia.*

Quid operetur anima intellectiua in homine, siuè rationalis?

1 DIc quòd operatur varios nobilissimos effectus, † & proinde varia sortitur nomina; nam, vt viuificat hominem vocatur vita, vt dat esse homini, & in esse conseruat, vocatur forma, vt potest intelligere, vocatur intellectus, vt potest velle, & nolle, dicitur animus vel voluntas. vt spirat dicitur, spiritus, vt directa iudicat, dicitur ratio, vt cognoscit, & agit notitias vocatur intellectus possibilis, vt recolit eas, vocatur memoria, & dum notitias non dirigit ad opus, vocatur intellectus speculatiuus, & dum dirigit, dicitur practicus; & cum

2 omnes † huiusmodi effectus, Sint idem cum anima, vt voluit Scotus, vel sint accidētia diuersa inseparabiliter ab ea manentia, vt voluit S. D. meus Angelicus, & hæc, quia plusquàm curiosa, quā vtilia, relinquo Scholasticis Theologis sed breuiter factis. Transeo ad propositam materiam.

QVAESITVM IX.

SVMMARIVM.

1 *Anima rationalis existens in gratia Dei quid boni habeat.*

2 *Anima rationalis existens in peccato mortali quid mali habeat.*

3 *Abissus abissum inuocat qualiter intelligatur.*

4 *Opera bonæ existentis in peccato mortali quid operentur.*

5 *Anima existens in excommunicatione maiori quid mali patiatur.*

6 *Interdictum Ecclesiasticum non tangit animam innocentis, & infligitur etiam ex culpa aliena.*

7 *Interdictum Ecclesiasticum in quibus habet maioris efficaciæ, quam excommunicatio.*

8 *Interdictis etiam ex culpa alterius, & etiam absolutis in foro conscientiæ denegatur Ec-*

clesia-

clesiastica sepultura.
9 *Anima existens in suspensione quid mali sentiat.*
10 *Communicans cum suspenso in eo in quo est suspensus peccat mortaliter.*
11 *Irregularitas non incurritur nisi in casibus à Iure expressus.*
12 *Tota Curia cœlestis lætatur cum peccator conuertitur ad suum Creatorem, & quare num. 14.*
13 *Lacrimæ pœnitentium vinu sunt Angelorum.*

In quo statu, vel qual. reperiatur anima existens in gratia Dei, vel in peccato mortali, siuè in censuris Ecclesiasticis?

Dic, quod anima, & intellige, de anima intellectiua & rationali, existens in gratia Dei, habet gaudium intra se cum Angelo Custode, & eius potentijs, nempè, cum intellectu, memoria & voluntate, & quæcumq; operatur, meritoriè operatur in seruitium magni Principis sui, & sui ipsiusmet; est inclinata ad omne bonum, & ad recipiendas diuinas inspirationes, & ad resistendum sensuali bus persuasionibus, & molestijs Dęmonis tentatoris, & habet pacem mentis intra se, & extra se. Necnon gaudet meritis Sanctorum, & cõmunione, & suffragijs fideliũ, & alijs omnibus bonis, quæ enumerant sacri Scriptores.

Contra verò, existens † in pecca-
2 to mortali, si cum illo separatur à corpore, æternis cruciatibus condemnabitur, & dum est in vita, est inclinata potius ad malum, quam ad bonum, hinc dicit D. Ambros. Peccatum, quod per pœnitentiam nõ purgatur, sui pondere ad alia trahit: &
3 Psalmista, † abyssus abyssum inuocat, idest peccatum, trahit peccatum licèt locus hic exponatur, quòd abyssus peccatorũ, qui est peccator, inuocat abyssum misericordiæ qui est Deus.
4 Opera bona, †quę facit, & meritoriè, mortua sunt, & nihil ad mercedem ęternam ei prosunt, licèt non remaneant quoad humana ei irremunerata, & disponunt peccatorem ad correctionem necnon opera ipsius prius meritoria, mortificantur, quæ postea cum emendatione peccatoris reuiuiscunt: &, vt vno omnia peccatoris mala, verbo complectar, existens in peccato mortali, est subditus Dęmonibus, & hic est pessimus status: remedium est abhorrere peccata, sed si quis peccauerit, statim conteri, & sacra

mento

mento Pœnitentiæ peccata delere, vt fuſius in noſtra Lucerna Parochorum, iam impreſſa, docuimus Parochos, & pœnitentes.

Cum verò † anima eſt in excom-
5 municatione maiori, priuatur participatione Sacramentorum actiuè, & paſſiuè, ſuffragijs Eccleſiæ & communione fideliũ, quorum ſunt participes cæteri fideles, iuxta illud Pſalmi, particeps ego ſum, omnium timentium te, vt abundantius habet lectori in altero tractatu noſtro, nuncupato, vaſculo Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cum de cenſuris agitur in ipſius fine.

Et cum eſt ſub interdicto † Eccle-
6 ſiaſtico, quæ eſt pœna corporalis, & non tangit animam innocentis. Et poteſt infligi, ſine culpa propria, ſed tantum aliena, & ſic in innocentes. corpus ipſum, in hoc ſtatu priuatur Eccleſiaſtica ſepultura, etiam ſi anima abſoluatur à peccatis, & ſacram Communionem recipiat.

Et ſciendum hic, † quod in duo-
7 bus, videtur quodammodo eſſe maioris efficaciæ interdictum, quàm excommunicatio, vt plenius in citato tractatu noſtro declarauimus, quod illa non fertur, niſi ob peccatum mortale, & ſi abſoluatur articulo mortis, datur ſic abſoluto ſepultura, Cap. parrochiano tuo de
8 ſepulturis: at interdictis † etiam ſi abſoluantur in foro cõſcientię in interdicto mortuis, denegatur Eccleſiaſtica ſepultura, quòd etiam dicitur de mortuis in torneamentis, & hoc etiam ſi ſine culpa ipſius particulari, imò ob culpam alterius, interdictus fuerit, & ratio eſt quia interdictum, vt dictum eſt, eſt cenſura, & pœna corporalis, quæ non tangit animam, ſicut excommunicatio, eſt pœna ſpiritualis de primo habes in ſacr. Script. Patres comederunt vuas acerbas, & dentes filiorum obſtupeſcunt, de ſecundo, animã, quæ peccauerit, ipſa morietur, ſunt hæc duo loca tanquã fundamenta antedictæ doctrinæ; licet etiam habeant alias expoſitiones.

Cum verò † eſt in ſuſpenſione
9 & hæc pœna non cadit niſi in ordinatũ ad Eccleſiaſticas functiones, ſi quid exercet ordinis prӕterquam quòd peccat mortaliter fit irregulares. Vbi nota, & tene mente, quòd eſt prohi-
10 bitum communicare † cum ſuſpenſo, in eo, in quo eſt ſuſpenſus, & ſi non vitamus ſuſpẽſum publicum in diuinis officijs, & in aſſignatis ſuo ordine peccamus M. Nauar. cap. 2. nu. 26. & ſeqq. Vide extrauag. ad euitan. de ſent. excom. De irregularitate hic nihil; vide Maiolum, & alios copioſè materiam tractantes, vnum te, Lector ſcire volo,
11 quòd irregularitas † non incur-

ritur regulariter, nisi in casibus in iure expressis.
Non potest, (vt ad alia descendã) humana mens capere, quanta
12 sit † totius curiæ cęlestis lætitia cum peccator conuertitur ad suum Creatorem, & Redemptorem quòd significatum est in dragma illa perdita, & recuperata, & in oue, quæ perierat inuenta & ne inæqualibus verbis, inexplicabilem rem enarrare tentem, Euangelico dicto, concludo quod magnum erit in cœlis gaudium, super vno peccatore pœnitentiam agente, & quomodo vocetur hoc gaudium infra habebitur, causa verò potissimum, huius magni gaudij, est charitas magna, quàm ardentem cœlestes illi spiritus, & animę habent, vt Deo dãte experiemur, cum ibi in patria erimus. Hinc deuotissimus Bernard. super Cant. gaudent Angeli super peccatoris conuersione, sa utem hominis
13 sit e ites, quia † lacrimæ pęnitentium, vinum sunt Angelorũ
14 item gaudent Angeli, † quia vident suę custodiæ gloriosum fructum, & quia vident numerum suum adimpleri, hinc ad Ephes. 2. Estis ciues Sanctorum, & August. Vnde Angeli ceciderunt, illuc venturi sunt homines, & gaudent Angeli, quia habent socios in laudãdo Deũ, sicut illi in cęlis, sic isti in terris, et bona, quæ faciũt ad honorem Dei, hæc Petrus de Palud in serm. Dom iij. post Pentecost. qui etiã dicit, quod non tàm dœmones gaudẽt damnatione, quàm Angeli gaudent conuersione peccatoris, ideò dicitur, magnum gaudium est in cęlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam &c.

QVAESITVM X.

SVMMARIVM.

1 *Homo an à principio fuerit creatus immortalis.*
2 *Virtus ligni vitæ.*
3 *Homo ex inobedientia subijcitur morti.*
4 *Homo ob conditionem mortis quibus assimiletur.*
5 *Mors vnde dicitur.*

Quare sit necessario moriendum?

Dic, quòd hæc necessaria conditio remãsit homini ex culpa primi parentis, non quòd
1 homo † esset à principio creatus immortalis, sed, quòd obediendo poterat non mori, quia deperditio humidi radicalis per actionem caloris restaurabatur per vsumfructuum Paradisi, & debilitas naturalis vigoris, proueniẽs, ex admistione extranei,

restaurabatur per esum ligni vi-
2 tæ,† quod habebat virtutem roborandi,& sæpè sumptum faciebat hominem robustum, & validum, vt posset non mori, quoadusque esset translatus ad gloriam. D. Anton. 1. par. tit. 5. c. 1. §. 4.

Ergo ex inobedientia † homo
3 subijcitur morti, hinc habetur Hæbr. 9. statutũ est hominibus semel mori. quamobrem Philosophus quidem dicebat ho-
4 minem † esse mortis mancipiũ, hospitem loci, viatorem transeuntem similem aceruo niuis rosæ matutinæ pomo nouo, & quod est lucerna parum duratura scintilla in mari, & quod est in mundo, vt in bello multiplici, quæ omnia denotant necessitatem mortis, & afflictionis præsentis vitæ, D. Anton. 4. par. tit. 14. c. 2. §. 5 sed quid in hoc immorer, cum hæc experiẽtia clarissima sint nec exemplo propterea, nec ratione probari necesse sit, hinc deuotissimus Bernard. metro

Vnde superbus homo, cuius conceptio, culpa,
Nasci pœna, labor, vita, necesse mori.
Post hominem vermis, post vermem, fœtor, & horror,
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Hinc merito mors † dicitur à mor-
5 dendo, quia mordet hominem, separando eius partes; scilicet animam à corpore, dimittendo principalem partem, quæ est anima, intactam, & assumendo minorem, quæ est corpus, & conglutiendo permastĩcationẽ, & digestionem, quia corpus, vermibus consumit. Vel mors etiã dicitur à morsu, quod per morsum ligni vetiti, mors ingressa est in mundum, vel dicitur à morsu, quia eius consideratio mordet conscientiam, retrahendo à malo, vnde benedixit sapiens, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis, ideſt nõ peccabis obstinatè, vt aliqui exponunt.

QVAESITVM XI.

SVMMARIVM.

1 *Mortis nuncij tres, & qui.*
2 *Virtus boni operis est perseuerantia, & nullum bonum opus meritorium sine perseuerantia.*
3 *Vita, & mors quod sit in manu Dei, quomodo intelligitur.*

Quòt sunt Nuncii mortis, & mors sit ne? à Deo, vel ab alio.

1 DIc, quod sunt tres, † primus est multiplex, & va-

rius vitæ casus, secundus est infinitus defectus, tertius est miseria, & senectus, vnde versus Prosperi; Ferro, peste, fame, vinclis, algore, calore. D. Anton. 1. par tit. 5. c. 1. §. 5. & Vgo de S. Vittore.

Mille mors miseros, mors capit vna reos.

Debet ergo homo non peccare, & peccando, pœnitentiam agere, & perseuerare in bono,
2 nam virtus † boni operis, est perseuerantia, & in benè operando, non datur status. quia vbi dixisti sufficit, ibi defecisti, nullum enim bonum opus est meritorium sine perseuerantia, & ideo Leuit 3 Nullum animal offerebatur sine cauda, hinc Chrysostomus, tolle perseuerantiam & nullam, obsequium habet mercedem, & Gregor. in casum agitur bonum, si ante vitæ terminum deseratur.
Et licet dicatur, quod † mors, &
3 vita, sit in manu Dei, & tamen habetur Ecclesiast. cap. 11. & Sap. 1. Deus non creauit mortem, sed impij vocarunt illam. Dic tu insuper, quod Deus non fecit mortem, idest peccatum, ob quòd mors venit: in quantum verò mors sit punitio peccati, hoc modo venit ex diuina dispositione ipsa mors, & ità intellige allegata loca sacræ Scripturæ.

QVAESITVM XII.

SVMMARIVM.

1 *Hora mortis quare sit nobis incognita plures rationes.*
2 *Deus iudicat hominem eo modo quo inuenit ipsum cum vocat.*
3 *Adolescentes facilius in morbum incidunt grauius ægrotant, & tutius curantur.*

Qua ratione Dominus horam mortis manifestam nobis non facit? vel regulariter alijs non fecit?

Dic, secundum D. Thomã; quod est nobis incognita
1 hora † mortis, vt, cautiùs viuamus, & hæc est prima ratio, quia dicit Diuus Augustinus,
2 quòd † Deus hominem iudicat eo modo, quò inuenit ipsum quando eum vocat. Secunda ratio est, vt homo benignius conuersetur, & lętiùs, nam si homo sciret hora mortis, melanconia continua augeretur & si sciret longam sibi promissam vitam, superbè viueret, & insolenter, vt plerumq; faciunt iuuenes validis, & robustis viribus, qui si aliquando incidunt, periclitantur, vt dicebat, mihi,

& citauit textum, Franciſcus de Blaſio de Mõteſarchio Medicus meus, & vicinarum Terrarum non ſolum in propria patria, ſaluberrimus naturę miniſter, in theorica, & praxi, ſatis clarus, ſed lætu aſpectu ægris admodum iucundus, & fortunatus: huius ſententiæ non contradicit Cicero de ſenectu
3 te, † facilius, inquit in morbum incidunt adoleſcentes, grauius ægrotant, & tutius curantur, retulit mihi Illuſtriſsimus Cæſar Paganus Eques, & miles Neapolitanus, Pater Ogoni Ducis Terræ nouæ, & Ioannis Baptiſtæ, eorũ genitori nil diſſimiles; de quodam etiam nobili Equite Neapolitano, quod prędicta ei (cum ſanus eſſet) infra menſem morte, ſtatim melanconia captus, infra decem dies interij, ſapientiſſimus, & prudẽtiſſimus hic Cæſar ſcripſit de vitis Regni Neapolis; ſatis elegans, & luculẽtum opus, quod vidi.

QVAESITVM XIII.

SVMMARIVM.

1 *Rationes plures circa hoc quęſitum.*

2 *Malus ideo viuit, vt corrigatur, vel vt per ipſum bonus exerceatur.*

Quare, cum moriendum ſit, vt experimur, non permittat Deus omnes mori in infantia, quia cum paucioribus culpis regulariter eſſent.

1 DIc, primo, † id permitti ob hominum generationem ſecundò, vt homo eſſet liber ad bene operandum, tertio, vt homo plus operaretur pertingens ad ſenectutem, quam ſi infans moriretur, quia per maiora opera bona in hac vita, maior gratia, & maius meritum acquiritur, & conſequenter maiorem gloriam acquirimus, ſi plura hic in via bona opera operati fuerimus, & benignè nobiſcũ agit Deus, dum concedit tempus, & merendi, & ſi peccauerimus, pœnitentiam agendi, & de peccatore lõgiùs in vita, dicebat Au-
2 guſt. malus, † ideo viuit, vt corrigatur, vel, vt per ipſum bonus exerceatur, & hoc boni de peccatoribus in longa vita agit Deus in Pſal 54. Don Antonius ex Illuſtriſſima, & clariſſima familia de Sangro, Nepos DD. Marci Antonij, & Lucij, qui hoc anno obijt, magno, omnium, qui eum norunt dolore propter iuuenis bonam indolẽ, & virtutum eius expectationẽ ſæpè mecum dicebat, dum ſanus ſum pœnitentiam agere volo, quia ſum incertus de tem-

pore

pore, quod ego satis admirabar in adolescentulo, cuius vitæ innocentia ex moribus, & vultus modestia, satis apparebat, quippè, qui etiam licet adolescentulus, prudentia tamen fuit admirabili, vir multarum disciplinarum, & multum industrius.

QVAESITVM XIV.

SVMMARIVM.

1 *Ponuntur plures rationes huius quæsiti, & num. seqq.*

7 *Desiderans diù viuere, vel statim mori ad malum finem peccat.*

Quare nunc homines, sint breuioris vitæ, & prius longioris?

DIc, quod id est per has rationes. Prima est quia
1 † optima temperatura, & complessio primi parentis à Deo in optima, & temperate, à Deo creati, sibi, & eius propinquis descendentibus, ad longam vitam pro fuit, quæ bona dispositio, magis descendit ad homines illius ætatis, tamquam magis propinquos, atq; ita factum est, vt ætas illa lõgissima fuerit, sequens verò longior etiam, quam subsequens, quæ paulatim de tempore in tempus, vsq; ad præsens decreuit, vt natura liter à robusto viro, & longęuo similis proles generari solet, hinc à Vincentio Ragucio, & Polita de Simeone, Auis meis longęuis, & ætate, quasi centenarijs nati sunt Ioannes Pater meus, Antonellus Pater Archipresbyteri Cæsaris, Sacerdos Nicolau s Angelus, & Petrus patrui mei, omnes longæ ætatis. Secunda ratio † vita sobria
2
3 illorum. Tertia bonum † nutrimentum, & victus, nam illius ętatis homines, sine luxù, & delectù ciborum, & varietate viuebant, & quia nutriebantur meliori nutrimento, nam aqua diluuij, quæ ex maiori parte fuit ex Oceano, atque ità salsa, steriles reddidit campos, & fructus terrę, nõ, vt prius salubres.
4 Quarta † scientia Adami, qui virtutes herbarum cognoscebat, & alijs per longi temporis curriculum illas, suis primis descendentibus notificauit, & ab illis alijs, & sic deinceps notificari potuit, ita etiam virtutes lapidum, & fructuum ad conseruandam vitam, & pro cõfirmatione huius rationis, legi in libro qui inscribitur Compendiũ omnium scientiarum quod in qualibet herba videtur inscripta, virtus eius pro conseruatione vitæ, sed quod legere ignoramus, & huius causa fuit lapsus primi parentis. Quinta,
5 quia, † super regione populi illius ætatis fuit talis aspectus

syderum eo tempore, qui prolongat vitam, nam vt dicit Aristoteles in opusc. de longit. & breuit. vitæ influxus cœli ad vitam iuuat, licet Menander Medicus aliter sentiat. Adde, quòd ex doctrina Porphyrij in logica, patria est principium cõseruatiuum generationis. Sexta
6 ratio est, † quare homines primæ ætatis fuerint longioris vitæ est diuina dispositio ad implendam terram hominibus. Hęc Lyra, & vt homines per longam vitam, possent habere notitiam, & experientiam de cursu Cęli, & syderum, & de effectu aliorum naturaliũ Diu. Anton. 1. par. tit. 5. c. 4. §. 5. ex sent. Lyrani cap. 5. & 6. posset, & alia ratio afferri, quia antiqui erant Castiores & non ità luxuriæ incumbebant, vt huius sęculi homines. Nota hic, quod qui
7 † desideraret diù viuere, vel ita tim mori ad malum finem peccaret, secus si ad bonũ finem. Nota hic, quod D. Ioannes Euãgelista fuit virgo, & ideo longeuæ ætatis nempè nonaginta nouem annis, vt ex Martyrologio veter. habetur.

QVAESITVM XV.

SVMMARIVM.

1 *Vita qui bene vtitur dignus est, vt prolongetur sibi, & è contra.*

2 *Vita prolõgatur ratione temperatæ regionis.*

3 *Item ratione boni regiminis sicut ex malo breuiatur.*

4 *Item ex qualitate fructuum terræ, & cibi moderatione.*

5 *Verba illa sacræ Scripturæ posuisti terminum quem non transgredientur quomodo intelligenda.*

6 *Prolongatio vitæ Ezechielis qualiter intelligenda.*

7 *Ex mutatione vitæ de malo in bonum mutatur sententia punitionis, & vltionis diuinæ, &c.*

8 *Sol retrocessit gradibus decem in signum vitę Ezechielis prolongatæ à Domino.*

9 *Vita longæua aliquorum exẽpla regulatæ viuentium.*

An vita humana possit breuiari?

DIc vt infra, quòd si respiciatur ad compositionem morum, potest prolongari, & breuiari, nam qui benè vtitur
1 vita, † dignus est vt prolongetur sibi; & augeatur, qui verò malè vita vtitur, indignus est illa, & propter vitæ abusum, meritò ei vita aufertur, etiam ob sui bonum, ne peccata continuet,

tinuet, hinc hr̃ Ecclesiast 7. ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo, & rursus qui honorat patrem suum vita viuet longiori, & in pręcepto decalogi de honorandis parentibus hr̃ hæc additio; honora, &c. vt sis longęuus super terram, rursus Eccl. 7. noli malum operari, ne tibi contingat mori, in tempore non tuo vt habet alia versio.

Qui verò benè vtitur vita, ipsius prolungationem acquirit, & propterea Ezechia quindecim super additi fuerunt, vt infra.

Similiter vita † prolungatur re-
2 spectu secundarum causarum, vt in regione temperata, vt in delitioso colle Pausylippi propè Neapolim, qui interpretatur locus sine tristitia, item respectu corporum cęlestiũ plus in vno loco, quàm in altero loco viuunt, vt aliqui volunt, itẽ plus viuunt in vno aere, quam in alio.

Similiter vita prolungatur † ex
3 bono regimine, sicut ex malo, breuiatur, hinc Galenus, qui centum, & septem compleuit annos, dicit quòd illorum vita est malè sana, qui arte, & industria ventri inseruiunt.

Similiter prolungatur vita, † vel
4 breuiatur, ex fructibus terræ, quia sunt digestibiliores in vno loco, quam in altero, & ex moderato cibo. Vnde Chrysost. vt habetur de consecr. dist. 5. nihil sic salutem, nihil sic sensu umacumẽ operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio, & propter dieta, & vomitu curabãtur antiqui & Beatus Hieronymus, in Homilia secunda, ex Origene, in initio, dicit hæc verba, omnes animæ monitiones vniuersitatis cõditor Deus creauit ad bonum, sed pro vsu nostro fit sæpè, vt res quæ bonæ sunt per naturam, dum malè his abutimur ad peccata, deducant, & ad mala.

Aduerte tamen, quòd respectu diuinæ prędestinationis, nec prolongari vita potest, nec breuia-
5 ri, atque ita † intelligenda sunt loca sacræ Scripturæ. Posuisti terminum, quem non transgredientur, & psalm. 113. posuisti terminos, qui præteriri non poterunt.

Hic notandum, quòd † prolun-
6 gatio vitæ Ezechielis intelligẽda est secundum diuinam prædestinationem, nam propter ipsius peccata, breuiabatur illi vita & sic secundum causas naturales, erat moriturus, tamen ob pœnitentiam, quam egit, aliter Deo placuit, & sic prolungata fuit illi vita ad quindecim alios annos. Hinc sequitur,
7 quod † ex mutatione tuæ vitæ de malo in bonũ, ò lector, sententia punitionis iustæ vltionis diuinæ, mutatur in misericordiam, & pietatem, iuxtà diuinã illam sententiam noueris te

mutare

mutare delictum, & noueris me mutare sententiam.

Ezechiel ergo fleuit, & inuenit misericordiam: sed flebat, quia si ne prole excludebatur à generatione Christi, ideò fuit exauditus, & concessi quindecim anni vitæ pro cuius rei signo,
8 † Sol retrocessit decem gradibus in horologio ad orientem, propter quod; quidã Doctor ait Rex Babiloniæ, qui erat Astrologus, & adorabat Sōlē videns, quòd Deus suus, fauebat Ezechieli misit munera ad eum ad contrahendum cum eo amicitias, quasi cum amico Dei sui. Sed Ezechiel, dum nuncijs Regis Babylonis thesauros suos ostendit, fuit à Deo punitus ob vanamgloriam, ostensionis thesaurorum, quæ fuit incẽtiuum, & causa, vt ille Rex bellum inferret, illius prouinciæ, vt Regũ habet hystoria.

Ex his cõcluditur, quod vita breuiatur ob causas antedictas, & aliquando prolungatur ex Dei dispensatione. Vide Antonin. prima parte tit.5.cap.1.§.viij.
9 Meus † auus Vincentius Raguccius, & mea auia Polita de Simeone vixerunt quasi ad centum annos propter regulatam vitam, licet auus laboraret podagra frequenter & ita vixerũt diu parentes mei Ioannes, & Portia, & patrui mei Antonellus pater Cęsaris Archipresbyteri Ceruinariæ olim patriæ meæ, & Petrus, & sacerdos Nicolaus Angelus, fuerunt rubeis in capite, & barba. pilis, satis robustæ vitæ, qui oẽs requiescant in pace pro quorũ requie sæpè celebraui, sicut quotidie celebro pro D. Io. Blasio nepote meo carissimo, cuius memoria in benedictione sit. Vixit etiam diu D. Fœlix de Gabriele Rector sancti Adiutoris eiusdem Terræ Ceruinariæ, ob vitam regulatam, & castam, scio ego etiã diù vixisse ob easdem causas Doct. Vincentium de Flore Baronem Rotunnorum, & Doctorem Ricciardũ de Bulgerijs patrẽ Siluij Baronis feudi della Torre, & Terræ Rotunnorum, & hæc memoria grati animi mei ergo vixit diu ad centũ annos propter sobrietatem, & exercitia spiritualia, Fabritius Dux veterum, ex Illustrissima Familia de Sangro, cuius nepoti D. Alexandro Patriarchæ Alexandrino Archiepiscopo Beneuentano, det Dominus eandem ætatem cum omni prosperitate longeuam, Item Fabius Baro S. Martini ex Illustrissima etiã familia de Lagonessa, cuius nepos alter Fabius Archiepiscopus Cõsanus, qui sicut aui virtute est imitator sic sit, & ætatis assecutor, & hæres.

QVAE

QVAESITVM XVI.

SVMMARIVM.

1 *Homo non debet vti remedijs illicitis pro conseruanda vita.*

2 *Maleficium maleficio tollere an liceat.*

3 *In extrema necessitate spirituali quilibet tenetur iuuare proximum.*

4 *Sciens ægrotus se non posse vltra viuere si nolit vti remedijs medicinalibus ob desperationē non potest absolui.*

5 *Ad producendam vitam remedia etiam spiritualia sunt adbibenda.*

6 *Moriendi modi quot sunt.*

Quid agendum pro conseruanda vita, iuxtà Dei placitum?

DIc quòd homo debet regulare seipsum. Secundum causas secundas, non tamen potest, nec
1 debet † vti remedijs illicitis, non ordinatis à Deo, vt superstitionibus, vel incantationibus, vel trāsgressione alicuius præcepti pro sanitate recuperanda, vel tuenda, hinc laudo cuiusdā probi Sacerdotis sententiā, qui potius, inquit, volumus licitè mori quam illicitè viuere.
2 Et nota obiter, quod, non † licet maleficiū, maleficio tollere, quia peccatum pro peccato fieret, sed bene licet destruere opus Dæmonis; & compositionem, maleficij, & illius inuolucra, vt dœmon per illud nocere desinat; Martin del rio l.c.

Sed fugienda contraria vitę, vtèndo medicinis ab arte ordinatis, & licitis, habitando in locis sanis, subtrahendo se à locis peste infectis, & sic vsque ad vltimum vitæ terminum à Deo præordinatū, perueniet; Nisi esset Curatus. quia tunc non posset deserere plebem sibi commissam, nisi substitueret ibi alterum idoneum, & ratio est
3 quia in extrema † necessitate spirituali, tenetur & ipse Curatus, & quilibet alius in necessitate temporali iuuare proximum iuxtà illud, cuique mandauit Deus de proximo suo.
4 Itaque etsi certè † scimus non posse prolungari terminum vitæ à Deo præfissum, debemus tamen vti remedijs à Deo ordinatis, & per medicos dispensatis, quia habetur in sacr. script. Honoro medicum propter necessitatē, enim creauit eum Dominus, vide text. 23.q.4. Diuus Anton. loc. cit. & qui nollet vti remedijs ob desperationem, vel nollet comedere, non potest absolui, vt dix mus in nostra Lucerna Parochorum de absolutione, & in altero Tractatu nostro, vasculo, scilicet Ecclesiasticæ Disciplinæ sub titulo de dubijs curiosis, vbi habentur plurima, & diuersa dubia, maximè

curiosa, & difficilia, cum facillima declaratione.

5 Sunt præcipuè † ad producendā vitam adhibenda remedia spiritualia, quibus credēdum est semper flecti Dominum, quando eius seruitio, & nostræ vtilitati, videt expedire, & semper nos exaudit Deus, etiam negando, quia semper, quod nobis vtile est intendit benignissimus, & prudentissimus Pater.

6 Nota hic obiter curiosam rem, quod † sunt noningenti, & septē modi moriendi vt affirmauit publicè Insignis concionator Frater Mag. Andreas Bisciosus ordinis Prædicatorum in concionem filij viduæ in hac Cathedrali hoc anno, super illis verbis Psalmi, Domini Dñi Dñi exitus mortis, sicut in concioni, eiusdem Euangelij, & in omnibus alijs anno sequenti ad milabitense demonstrauit, ob tenacis memoria donum P. Iulius de Ianuario Beneuentanus, filius meus spiritualis, potentissimus aurium tirannus, exoratissimus dulcissime, orationis fluore redundans.

QVAESITVM XVII.

SVMMARIVM.

1 *Morientium passiones, & nu. 3.*

2 *Verba Diui Chrysostomi in materia huius quæsiti.*

An timeant homines moribundi?

1 Dic, quod sic, vt infra, timet mori, † & horret, mens ei occupatur, cor lungatur, intellectus confunditur, memoria deperit, nec propriæ salutis recordatur, huc, & illuc fixis oculis miratur, tunc adiuua me Domine in tali passu; vidi ego multos morientes huc, & illuc oculos vertētes, vel fixè mirantes.

D. Chrysostomus, ita de hoc puncto loquitur in persona morientis.

2 Heu mihi † iter peregrinus aggredior, quod nunquam ambulaui, in longinqua regione, quam nunquam vidi in seculo aliarum animarum à quo nullus vnquam regressus est in locis horrendis in quibus mihi nullus fidus Dux erit, ante Iudicem terribilem, & tremendum nescio quid mihi eueniet, heu mihi? ecce quæro auxilium, & nemo me subleuat, nec, qui mihi condoleat, & de tot amicis, & consanguineis meis, nemo mecum nunc est. Quidam diues dixit in hoc puncto, heu; tot habeo Ciuitates, & Castra, & nescio nunc vbi mansionem habebo, ex Bernardo.

3 Sanctus Cyrillus scribit ad D. Augustinum de quodam resuscitato a D. Hieronymo, quod in tali puncto vidit millia millium Dœmonum eum deterrentium qui dixit sunt ità horribiles Dœmones, vt potius quis eligeret ingredi fornacem

nacem

nacem ardentem quàm vnum Dœmonem videre. Hic est status morientium.

QVAESITVM XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Angelus bonus sicut nunquam deserit suum custoditum sic dæmon nunquam cessat illum tentare.*
2 *Diabolus etiam bonis in fine vitæ apparet.*
3 *Dæmon qualiter infirmis appareat.*
4 *Quare non appareat alijs circunstantibus.*
5 *Christus etiam apparet morientibus, & qua forma.*

An Dœmones appareant morientibus?

DIc vt infra. Bartholomęus Sybilla respondet, quod sic in suo
1 Speculo, nã licet Angelus bonus non destituit vnquam suum custoditum, sic dœmon non cessat illum tentare, & maximè in illo statu, facit locus Genes. 10 & tu insidiaberis calcaneo eius, idest in fine vitæ, hinc D. Gregorius Moral c. 7 si hostis noster in principio vitæ nostræ nos non atterit nec in progressu vincit maiora pro victoria præparat vincula ad nos ligandum Diu. Luc. cap. 18. ait.
2 Diabolus † in fine vitæ, bonis, & reis apparet, immò & Christo apparuit, nihil tamen de suo inuenit: & hoc communiter accidit omnibus, sed Beata Virgo fuit immunis ab hoc malo, ità Pelpratus in suo Stellario.

Nota, quòd licet *Dœmon* sit substãtia spiritualis, tamen videtur ab
3 infirmis, † vel per immaginationem quia Dęmon habet potestatem mouẽdi humores, & sanguinem, & formandi in phantasia infirmorum diuersas immagines, & sic figura Dœmonum, vel apparet in corporibus aereis absumptis.
4 Nec apparet † circumstantibus, quia ipsi Dœmones videntur ab eis, vbi fit visio, vt dictum est; vt accidit in Prophetis.

Nota etiam; quòd secundum Innocentium in tractatu de miseria humanæ conditionis lib. 1. c. 43.
5 Christus † Dominus apparet etiã morientibus in forma crucifixi, bonis benignus reis terribilis, & quòd anima morientis videt Infernum apertum, & egressa præsentatur ante Tribunal Christi. Catechismis Rom. super secundum articulum. Debemus ergo dum in vita sumus, recurrere ad Dominum, & ad Dominam, nam, Maria, Syriacè Domina dicitur, ità Palud. in enarrat; idest in Dominicam Paschæ.

QVAESITVM XIX.

SVMMARIVM.

1 *Separatio animæ à corpore est maior dolor morientium.*

2 *Mors an sit aliquid ad sui essentiam, & quid sit num. 3.*

4 *Mors qualiter ab antiquis pingebatur.*

5 *Mors qualiter dicatur esse ex diuina dispositione.*

Quis sit maior dolor quem sentiant morientes?

1 DIc, quòd est † separatio animæ à corpore, Augustinus in lib. de spiritu, & anima, Ioãnes Euangelista, qui mortuus est ætatis suæ ann. 99. vt affirmat Hieronymus nullum sentit dolorem.

2 Nota, quòd mors quantum † ad sui essentiam non est aliquid positiuum, sed est nihil, quia est priuatio vitæ; & dicitur mors à morsu, & pomum vetitum, vel sumpta similitudine à mordendo, quia, qui mordet partẽ accipit, & partẽ relinquit; ita mors corpus mordet, sed non tangit animam.

3 Ergo mors † est separatio animæ à corpore, vel vltimum terribiliũ ex Aristotele.

4 Antiqui † eam in Virginis formam pingebant, velatam facie, & cum corona Assiatiaca, vel capite sanguinolento, sed vt euadatur timor huius Virginis satis viuat, de ipsa sæpè cogitari, ex sententia Salamonis.

Nota quòd Deus nõ fecit mortem, ex Sapient. cap. 1. Deus nunquam fecit mortem, idest peccatum per quòd intrauit mors in mundum,

5 sed quatenus † mors est punitio peccati, hoc modo dicitur esse ex diuina dispositione, & ab ipso Deo, & reddendo ad quæsitum patientur morientes grauissimam infestationem dœmonum iuxta illud. Et tu insidiaberis calcaneo eius videbunt horribiles visiones; patietur propinquorũ molestias iuxta illud, inimici eius domestici. Hinc D. Hieronymus, quisq; à proximo suo caueat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, patietur infirmitatis molestias, & sensuum defatigationem, vnde dicitur à Propheta. eripe me Domine ab inimicis meis, idest sensibus, quia tunc ita defecerat ex infirmitate, vt eis homo vti non possit, vel saltem cum difficultate pro salute animæ, nam non est in morte, qui memor sit tui, imò sensus tunc animę aduersatur, de quo quare Dauid habetur Si mei non essent dominati, Diu. Anton. loc. cit. c. 2. §. 3.

QVAESITVM XX.

SVMMARIVM.

1 *Non potest malè mori qui bene vixit, & è contra.*

2 *Signa mala quæ videntur in morte bonorum an malum aliquod arguant.*

3 *Exemplum circa hoc.*

Quare boni, & pij homines in vita videntur aliqui mori impiè, & faciendo varia mala, vt dici possit, quòd malè moriantur?

Dic quod secundum regulam magni Augustini non potest
1 † malè mori, qui benè vixit, & è contra vix bene moritur, qui ma-
2 lè vixerit. Dic postea, † quòd mala signa, quæ faciunt boni in eorum exitu, non est inditium malum damnationis, vt accidit in multis Sanctis, qui mortui sunt quodam terrore, & smania, vt ita dicam, vt de quodam Sãcto legitur, qui nolebat videre crucem moriens, imò in eam spuebat, nã hoc potest esse ad maius eorum meritum, quando scilicet horrent mortem, & aliqua smania capiuntur, vel dici potest quod ille motus non concludunt, contra salutem illius viri boni, & pij, nam potest esse, quòd Dœmon mouet humorem, ex Diuina permissione, ad illas passiones, & motus.
3 Legitur enim apud Robertum, quòd quidam vir iustus in actu studebat, & legebat illum testiculum Sap. 4. Iustus, quandocunq; præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Subita morte cecidit, ob quod vulgus tenebat, illum esse malum hominem, ob malum finem, sed dum voluerũt illum sepelire, nõ potuit moueri à libro, & digitus ipsius ostẽdebat locum illum libri quẽ legebat, vt supradictum est, atque de eo cessauit mala opinio, & cum magna deuotione fuit sepultus.

QVAESITVM XXI.

SVMMARIVM.

1 *Lugendum in morte morictium qualiter sit, & num. 4.*

2 *Enumerantur aliqui fortes viri in æquo animo ferenda morte suorum, & num. 3.*

5 *Domus de Bilotto laudatur.*

An sit lugendum in morte alicuius?

Dic, quòd ex compassione, quia homo non est truncus vt volebãt stoici, & carnis afflictio-
1 ne, † est moderatè lugendum, tamen cauendum est, à tristitia ob desperationem, nam spes resurrectionis debet adimere nimiũ animi dolorem, & ex his, sunt intelligenda aliqua loca sacrę scripturæ, quasi sibi aduersantia. Nam Dauid mortem Ionatæ. & Saulis defleuit, & Diuus Ambrosius deflebat in obitu, alicuius Sancti Viri quia tale auxiliũ mũdo subtractũ erat, & q.r. eũ ad pięmiũ præcesserat, & hoc, non ex inuidia, sed ex quodam desiderio æternæ vitæ, hic Paulus, cupio, inquit,

dissolui, & esse cum Christo, & ad Thessal. 4. nol te contristari de dormientibus, tanquam qui, si e non habent D. Anton. l. c. don

2 Fabius † Dux Campi Læti ex Illustrissima Familia Caraphea, vt Christianarum & heroicarum virtutum alijs Regni proceribus, exemplum, est, sic, & temperātiæ, & fortitudinis se demonstrauit in amissione dulcissimorum, & magnæ expectationis N.N. Filiorū,

3 Item & † D. Ioannes Baro Petre Policinę, & Peschi ex Illustrissima Familia Aquinate in amissione Don Iosepp Hierosolymitani Equitis, & D. Hieronymi carissimorum filiorum.

4 Concluditur ergo† moderatè lugendum, vt eodem tempore, & carnis conditio ostēdatur, & spes resurrectionis in melius non amittatur. Dominus Vincentius Bilotta Beneuentanus illius Ioannis Camilli Regij Consiliarij Nepos, Clem. VIII. à secretis, vt est eminentis ingenij, & multarum scientiarum doctrina clarus, sic & generis splēdore illustris, satis luculentum tractatū de moribus omnium gētium circa modum flendi, & sepeliendi mortuos compilauit, cuius institutum, satis probaui, & vt quamprimum perficiat, exhortatus sum: ex hac fa

5 milia, tanquam ex equo Troiano multi clari, non multū est tēpori viri prodiere, celebris literis, vel armis Octauius, Scipio, Ioanne Baptista, & Eques Bartholomæus Musis amicus, & Marticharus, qui hoc anno octocenarius satis piè defunctus est.

QVAESITVM XXII.

SVMMARIVM.

1 *Anima statim egressa ea corpore constituitur ante Tribunal Christi, vt iudicetur.*

2 *Iudicium particulare quod sit.*

3 *Animæ an sint inter se differentes, & in quibus.*

4 *Animabus aliquibus Iudicium particulare procrastinatur.*

5 *Christus in Iudicio particulari animarum an corporaliter appareat.*

6 *Illustrissimi Bellarminij sententia circa hoc quæsitum.*

7 *In Iudicio particulari assistunt tàm Angeli boni quàm dæmones audientes, & exequentes sententiam.*

8 *Iudicium particulare qui fiat probatur.*

9 *Iudicium particulare quale sit, & an fiat ante mortē, nu. 10.*

11 *Animæ in Iudicio particulari an videāt humanitatē Christi.*

12 *Animæ in Iudicio particulari an præsententur ante Tribunal Christi, an Christus veniat ad morientes.*

13 Iu-

13 *Iudicium hoc particulare fit sine testibus, & absque ulla discussione.*

An animæ morientium iudicantur dum sunt in corpore, vel egressæ à corpore iudicio particulari.

DIc secundum Catechismum Romanũ, quod subitò egressæ è corpore, constituuntur ante Tribunal Christi, & ibi iudicãtur, & per Tribunal Christi intelligas eleuationem ipsius animæ ad audiendum sententiam Iudicis, & hoc est præsentari ante Tribunal
2 Christi. Quod iudicium † vocatur particulare, seu priuatum, & licèt legatur in legendis Sanctorum aliquorum, quòd viuẽtes fuerunt iudicati digni Paradiso. id intellige ex priuilegio particulari, Catechismus autem loquitur de lege communi.

Nota hic ex sententia Henrici de
3 hassia. super Genesim. animas † esse inter se differentes, quo ad receptionem sententiæ Iudicis in iudicio particulari: Aliquæ enim sunt quę damnabuntur, vt infideles & hæretici, & obstinati in peccato mortali, & hic secũdum cõmunem legem, non iudicabuntur nisi post mortem, & ratio, quia diuina clementia non vult damnare vllum in præsenti vita, idem de animabus condemnandis ad pœnas purgatorij, & hoc intelligẽ secundum communem legem, nam aliquando Deus aliter facit, teste Beda lib. 5. c. 15. suę historię, & Clymacus in sua scala gradu 1. Idem D. Greg l. 4. moral. c. 36. & D. August. c. 12. lib. de cura pro mortuis.

Sunt & aliç animæ, quæ sine aliqua pœna transferendæ sunt in Paradisum, & hæ ex gratia speciali in vita iudicantur digni gloria; sunt,
4 & aliæ animæ, in quibus † iudiciũ particulare procrastinatur, vt legitur in vita Sancti Bruni. Concludе ergo, quòd iudicium communiter loquẽdo, fit, egressa anima à corpore.

Nota hic, quòd aliqui dixerunt in
5 iudicando † Christum corporaliter in morte cuiusque descẽdere, secundum sanctum cẽtium vbi supra; Aliqui dixerunt animas separatas in Paradiso iudicari, & hæc sententia non potest substineri, alij dixerunt, quòd non est necesse in Iudicio particulari Christum descendere corporaliter. Non tamẽ secundum Henricum vbi supra; est inconueniens descẽdere cum suo corpore, vt legitur in aliquibus exemplis, quæ recitat discipulus conclude ergo quòd Christus, siuè Iudicio particulari, siuè in generali, secundum humanam naturam iudicat, & quod Christus in Cœlo in dexteris patris iudicat in iudicio particulari, & ibi sententiam profert quæ sententia reuelatur Angelo Custodi illius animæ, quæ iudicatur, qui illam ei

reuelat,

reuelat, & exequitur, & hoc secundum legem vniuersalem. Hęc Henricus.

6 Illustrissimus Bellarminius † in controuersijs de Purgatorio, ità scripsit quod non est certum, si animæ præsentabuntur ante Iudicem, aut si ibi iudicantur, vbi è corporibus egrediuntur, sicut, si à Christo in forma hominis, vel secundum diuinam virtutem, vel quod sententia ab Angelis reuelabitur, & quod intelligitur de iudicio generali, scriptura testans Christum Iudicem viuorum, & mortuorum, & secundum huius sententiam, non est certum, nec probabile, quod dicit Innocẽtius lib. 2. de contẽptu mundi cap. vlt. Habes ergo diuersas sentẽtias cir- Iudicium animæ, tu tamen tene cũ Catechismo, nec deseras sententiam Henrici de Hassia.

Nota secundum sent. Diu. Bonau. 4 sent. dist. 20. loquen. communiter
7 † de omnibus morientibus, quod tàm bonis, quàm reis assistunt Angeli boni, & Dęmones, qui audiũt sententiam Iudicis, & exequuntur illam, siuè animas ad Paradisum ducendo, siuè ad Purgatorium deducendo siuè ad Infernum, sed ad Infernum, Demones ad Paradisum Angeli, sed ad Purgatoriũ etiam Angeli, Dęmones tamen sequuntur vsque ad Purgatorium, lætantes, & gaudentes.

Nota rursum de hoc Iudicio parti-
8 culari, quod certissimè, & infallibiliter fiet D. Tho. 3. p. q. 59. ar. 5. & alij Theologi in 4. dist. 47, quãuis aliqui Hæretici antiqui id negarunt huius sententiæ fuit Lactantius lib. 7. diu. inst. cap. 21. sed Catholica veritas est incontrariũ, quod fiat Iudicium particulare, vt dictum est, de hoc loquuntur S. Ambrosius, & S. Anselmus super verbis Apostoli, Post hoc autem Iudicium ad hębre. cap. 9. de hoc loquitur Chrysost. in Math. homil. 37. his verbis, postquam diem tuum obieris, iudicium & pœna consequetur, de hoc Aug. de Ciuit. Dei cap. 20. & de anima, & eius orig. l. 2. cap. 4. his verbis, illud rectissimè, & valdè salubriter creditur, iudicari animas, cum de corporibus exierint: Vide D. August. in lib. de cura pro mortuis c. 2. & D. Gregorium in 4. lib. dialog. cap. 36. & 38.

9 Hoc autem Iudicium † particulare erit hoc, quod quæque anima scit sententiam de ea, siuè ad pręmium, siuè ad pœnas, & eodem tempore datur, & notificatur, &
10 fit † paulò antequam egrediatur, vt scribit Gregor. 4. dialog. 38. & Beda l. 5. hist. Angl cap. 14 & 15. & Clymacus in sua scala Paradisi gradu 7. qui referunt quasdam visiones quibus apparebat, animas ante egressum, iudicari, sed dici id non potest, nam iudicium particulare, debet fieri post terminatum tempus mę ẽdi, vel demęrendi & quoad visiones supra mentionatas dicitur, quod non apparet ex eis esse iam factum iudi-

iudicium particulare ante egressum animæ,itaque restat veritas, quod iudicium fit in eodem puncto,quo exit anima,quod colligitur ex eisdem visionibus, quas referunt supracitati Doctores. Diu. Hieronymus in Epist.ad Panmatium,affirmat quod anima statim atq; egressa est è corpore, nouit, quod de se Christus fecit Iudiciũ, & visiones antedictæ fuerũt permissæ ad emendationem peccatoris.

Hic nota, quod non est certum, si
11 in † iudicio particulari, animæ videant Christi humanitatem, licet Innoc affirmet, l.2. cap.43. de contempt. mundi, & sententia Ioan.cap.19.videbunt in quem transfixerunt, intelligitur de Iudicio vniuersali.

Et circa modum huius Iudicij varia fuit Doctorũ sententia, sicut etiã
12 circa locum; Alij dixerunt † animas præsentari ante Tribunal Christi, & citant Augustinum l.5. de vanitate sæculi, qui dicit, cum anima à corpore separatur, veniunt Angeli, vt perducant illã ante Tribunal Iudicis,&Chrysost. homil.4.in Matth. idẽ dicit Bernardus in meditat.

Alij dixerunt Christum venire omnibus moribũdis, per verba Matthæi cap.13. & 24. Vigilate quia nescitis, qua hora filius hominis veniet ex quibus verbis Euãgelij, ac etiam Ioan.cap 3. Innocentius 3. lib. 2 cap.45 de contemptu mũdi,& Rodulphus Cartus.tõ.3. cap.46.dixerũt omnibus morientibus apparere Christũ in forma Crucifixi,sed hoc nõ videtur probabile vt Christus realiter secundum humanitatem descendat de Cœlo,vt singulis moribundis assistat,esset enim in continuo motu sancta illa humanitas cum possint animæ sine corporali præsentia Christi nosse sententiam Iudicis de eis latam.Nec videtur probabile, vt animæ descensuræ ad Infernum, vel ad Lymbum, vel ad Purgatorium eant prius in Paradisum ad audiendã sentẽtiam, vt volebat prænominatorum SS. opinio,cũ illuc nihil q̃ eo in Senatũ intrabit Apoc. c.21. aliqui dixerunt animam egressam è corpore,iuxtà illud parumper sistere ad audiendam sententiam, D. Bonau.in 4.dist.20.1.p.& Sotus dist. 45.q.1. conclus.2. neque horum opinio est probabilis. Dic ergo vt supradictum est, quod anima in puncto separationis à corpore, aut statim atq; egressa est, eleuatur diuina virtute ad audiendã sententiã Iudicis,& hoc est præsentari ante Tribunal Christi, & quod Christus veniat omnib⁹ moribundis, vt per verba Matthæi, & Ioan.locis citatis, intelligendũ est non corporaliter, sed virtualiter, idest per eius potentiam, & efficaciam,& virtutẽ, & hoc modo quisque audiat eius sententiam, & hæc de modo iud.cij particularis.

13 Hoc Iudicium † fiet sine testibus,

& sine vlla discussione. & simpliciter, nam Iudici hominis merita, vel de merita nota sunt, & sententia nō erit vocalis, sed intellectualis, & eo modo anima appræhendet illam sine vlla appellatione, neque quoad effectum suspensiuum, neq; quoad deuolutiuum, vt fit hic Beneuenti, vbi appellatur ab omni grauamine, & ego de stylo curię, statim, vt Iudex appellationum ordinarius inhibeo, Iudicibus sæcularibus; post, prouidetur, vt iuris fuerit: & statim exequetur, & anima potest nosse hanc sententiam, vel per Angelū suum Custodem, vel per species infusas à Deo in eius intellectu, aut per reuelationem diuinam virtutem, ipsius Iudicis.

QVAESITVM XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Animę post exitum à corpore ducuntur ad vnum ex quatuor locis, & quæ.*

2 *Quam pœnam patiantur in inferno, & quam in lymbo.*

3 *Poetarum, & Philosophorum opiniones erroneæ de loco animarum post separationem à corpore, & seqq.*

6 *Campi Elysei vbi, & num. 7. 8. & 9.*

10 *Opinio Pitagoricorum, & Anaxagoricorum.*

11 *Opinio Peripateticorum, & num. 12.*

13 *Opinio Astrologorum.*

14 *Moderniorum Philosophorum opinio, & num. 15. 16. 17.*

18 *Sinus Abraæ cessauit post Christi Resurrectionem, & Ascensionem.*

19 *Natura Angelica quando fuerit creata.*

20 *Anima Beatæ Virginis quando fuit creata.*

21 *Verbum creauit intelligitur ex nihilo.*

22 *Spiritus sanctus vbi vult spirat, & omnia suauiter disponit.*

Ad quæ loca ducantur animæ post exitum à corpore.

1 Dic, quòd ducuntùr † ad vnū ex quatuor locis ex sacrorū Doctorum doctrina, vel ad gloriam, vel ad pœnas Inferni inferioris, vel ad pœnas Purgatorij, quod etiam appellatur aliquādo Infernus, vt in Missa pro defunctis (libera eas de pœnis inferni) vel ad pœnas Lymbi, vt vocant, nam Synus Abraaæ cessauit, Post verò Resurrectionē quādo vnientur animæ suis corporibus, vt infra dicetur, corpora erunt cum suis animabus, vel in gloria, vel in pęnis Inferni, vel Lymbi, pro vt destinata fuerunt.

2 Sed in inferno † patientur pœnã sensus, & damni, in lymbo pœnã tantùm pœnam damni, vt infra fusiùs suo loco dicetur, & ad lymbum tendent discedentes ex hac vita sine Baptismo, & hic nota, quòd animæ ad locũ gloriæ ducentur per Angelos bonos ad pęnas per Angelos malos, vt alibi dictum est, & infra etiam habebitur.

Videas benigne Lector, & rideas,
3 imò, & irrideas opiniones † prophanorum poetarum, & philosophorum de loco animarum post separationẽ à corpore, quas placet hic inserere, magis curiosè quàm vtiliter, vt curiosis etiã satisfaciam & præmissa Catholica veritate, magis istorum profanorum, vt euitari possint mendacia, & vanitates appareant, & si quòd boni dixerint considerari.

4 Poetæ loquentes † de animabus peccatricibus, dixerunt locum earum esse Tartarum, quibus etiã assentitur diuinus Plato in Phœdone. Tartara autem sunt loca in profundo terræ, quæ latinè, conturbata loca sonant.

Has igitur animas peccatrices, perpetuò hic torquẽdas ab Eumenidibus, idest furijs infernalibus: de hoc loco meminit Homer. lib. 12. Odisseæ his versibus.

Cymerios, fama est, populos, hic esse cauernis,
Perpetua nebula cœcaq; caligine mersos.

Et Virgilius, & alij, & horum opinio concordat cum Sacra Theologia, qđ animæ in peccato mortali decedentes, in profundo Inferno punientur.

5 Animas verò, quæ † virtutibus præditę fuerunt, & optimis habitibus ornatæ, eas dixerunt, tẽdere
6 ad Elysios Campos, † de quo loco variæ etiam sententiæ referentur, vt infrà. licèt eum statuerint Poetæ, quasi omnes in terræ huius visceribus, tamen summis fęlicitatibus plenum. Et hęc fuit pręcipua opinio Zenonis Stoici. philosophi, id sentijt Diogenes Cynicus id Poeta Virgilius, qui Virgilius, sumpsit ex Xenocrate Academico, qui Platonẽ audiuit, qui Xenocrates ex Gobria mago, se accepisse tradit. Crinit. lib. 5. c. 11. de hoc disc.

7 Plato, locum † Elysium non sub terra, sed in quibusdã Insulis fortunatis collocauit, idẽ sensit Horatius in Epodo illis verbis.

Hos manet Oceanus circumuagus arua beata.

Idem sensit Homerus Odissee lib. 4. illis verbis,

Hic hominẽ facilem vitã, &c.

8 Lactantius † Firmianus Elysium asserit esse Cœlum. Virgilius in 6. sensit esse Elysium, in aere, illis verbis,

Sic tota passim, regione vagantur
Aeris in campis latis.

Idem Lucanus illis verbis,

Quodque patet inter Lunæ meatus.

Maumethes falsissimus Turcarũ deceptor hic etiam collocat, locũ deliciarũ pro suis subditis, & omnes delicias facit corporales, & carnales ad alliciẽdas, & decipiẽdas illas bestias, vt refert Henricus citatus in expositione in Genesim.

9 Poetæ alij † antiquissimi, vt Orphæus, Lynus, Elyodus, Eurypides, Sophocles, & alij permulti, collocarunt Elysium in suprema regione aeris.

Horum opiniones fabulosæ sunt, & eas doctrina Christianę religionis confuto, sine vlla alia ratione, vel auctoritate.

10 Pitagorici, † & Anaxagorici opinati sunt aliud figmentum, loca animæ post separationem à corpore, esse aliud corpus, & sic animas transire de anima in corpus, ita refert Arist. 1. de anima: Hinc de quodam strenuò viro, dictum metricè fuit.

Si verum est animas in corpora posse reuerti,

Hæc tua, quæ nunc est Cæsaris ante fuit.

Et sic Pitagoras dicebat animas trãsire de corpore in corpus, sed Anaxagoras asserebat illas latitare in corporibus, atque hac assertione collocabaat animas in his corporibus inferioribus.

Mercurius Trymegistus, & quidam modernus noĩe Nicolectus Theatinus, hoc idem sentiunt.

11 Philosophi Peripatetici † vel aliqui eorũ, asseruerunt animas peccatrices è corpore egressas fieri dœmones, & nos, quasi laruas terrere, & quasi lemures, & hi nihil dixerunt de animabus virtutibus ornatis: Hæ autẽ vt Arist. in lib. de mirabil. mundi, post egressum à corpore proficiscuntur ad orbẽ tristem, vbi adest plurimus ignis, & fornaces fragrantes, quibus infelices animæ torquentur.

12 Alij Peripateticorum † dixere, quòd animæ, quæ sensui damnatæ sunt, ratione vtentes Angeli, & intellectus appellantur, & eas, Beatas Insulas habitaturas, vt testis est Arist. 7. Polyt. cap. 5. & 2. Ethyc. cap. 1. sed quæ sensui obediuerunt, brutalitatem adeptæ, dœmones appellantur, & istarum loca esse diuersa, secundum magis, & minus adeptæ sunt bestialitatem, ita vt, quæ magis brutales euaserunt, ad loca subterranea destinatæ sunt, & sunt valdè horribiles, & hæ secundum horum opinionem effugiunt hominum faciem, quæ verò minus bestialitati mistæ sunt, hę in aquis, & mari degere dicunt, vel in aere, & commouent fluctus, & tempestates vel etiam in terra habitant, & malum terræ prouocant, & hę nõ sunt ita horribiles.

13 Astrologi † collocant animas in corporibus cœlestibus, quia imaginantur vt Macrobius in lib. de somnio Scipionis, animas anteq̃ã

in corpore sint esse in Cœlis, & de Cœlo ad humana corpora informanda, descendere, quod etiam videtur voluisse, vltra superius dicta, qui prius omnium phylosophus dictus est Pitagoras Samius, vel Samnius, vt alij dicunt; ex Prouincia Samnitum.

14 Moderniores † philosophi opinati sunt, non esse vnum locum omnium animarum, & sic aliquas ascendere ad superas sedes, quippè quæ sibi similia in hac vita sequutæ sint, aliquas verò ad Infernas Sedes, quia illis similib⁹ adhæserunt; alijs verò quia, medijs adhæserunt; media sedes attribuerunt.

15 Philosophi alij † inter Latinos opinantur omnes animas à corporibus absolutas, remanere ęquales, & omnibus communem locũ tribuendum esse, & adducunt pro eorum sententia, Arist. 1. de anima tex. 25. concludentem intellectum esse perpetuũ, & post mortem illum non reminisci.

16 Alij Philosophi, & inter eos præcipuus Plato, asseruerunt, duplicẽ esse locum animarum, bonarum, apud Insulas Beatas, & tartarum collocant in centralibus partibus terræ, vbi sẽtitur calor extremus; frigus intolerabile, visiones dœmonum, infausti cruciatus, horribiles damnatorum fremitus, intolerabiles, sed immiserabiles, pauor, dolor, tristitia ibi, & lachrymæ, & omne supplicij genus adeò miserabile, vt etiam feris animalibus miserabile esse posset, sed nec ipsis miserabile, & his torqueri animas, vt puta iniustas, ingratas, impias, mendaces, & consimiles. Aristoteles, iterum (vltra supra dicta) visus est sentire, in lib. de mirabilibus mundi, & 7. Polyt. & Ethyc. 20. locum animarum esse orbem tristem intellige impiarum, locũ verò Iustarum, esse Insulas Beatorum, & huic sententiæ videtur astipulatus Platonicus Plotinus.

17 Alij † Philosophi moderniores, vt videantur, & ipsi inter olores, anseres strepere, opinãtur, animas ex omni parte bonas adituras stellas eis compatres, non quidẽ naturaliter, sed ex acquisitionis habitu. Itaq; stella ex acquisitione erit locus animæ post mortem, cuius corpori præfuit. Impias verò animas in imis terræ partibus, locum omnium malorum pessimum, & omnium ærumnarum genere tremendũ; vbi adest ignis inextinguibilis, fletus cõtiistabilis, tenebræ palpabiles, fętor intolerabilis stridor inestimabilis, putredis aceruus, & aspectu dęmonũ intolerabilis. Itaq; credidit antiqua gentilitas, teste Guglielmo Parisiensi, homines probos post hanc vitam, ascensuros ad sydereas sedes, vnde vsque adhuc dicitur, sydus Iouis, vel Veneris vel Mercurij, quasi quod ad has compares stellas prædictorum animæ ascenderint.

Et notandum quod Albertus, Socrates, Zeosippus, & Plato, qui compares

pares stellas nominant, intellexere stellas, vel ex natura, quia in genitura illius, dominium talis stella sumpserit, vel ex acquisitione scilicet, cum anima ex actionibus, similitudinē alicuius stellæ acquisiuit, vt qui in hac vita in Martialibus, se exercuerunt,

Martis stella, ei, ex acquisitione, compar sit.

Et ex his vanitatibus, & falsis assertionibus, & figmentis poetarum, & philosophorum, quæ catholica veritate reijcimus saltem apparet, quod peccatrices animæ, cruciabuntur, & virtutibus prędite gaudebūt, remanet ergo veritas quod animæ egressæ à corporibus, vel ad Paradisum euolant, vel vadunt ad Purgatorium, vel ad Infernū,
18 vel ad Lymbum, nam † synus Abraæ euacuatus fuit post Christi Resurrectionem, & Ascensionem.

19 Nota hic obiter, quòd licèt † natura Angelica sit creata à principio, cū materia prima cœlo Empyreo, & tempore; licet aliqui tenuerint cōtrarium, vt alibi etiam dicetur; cum Deo dāte expositionem literalem sacræ Genesis, quā aggressè fuimus perficiemus, tamen animæ creatio fit, quando corpori infunditur, vt supra clarius diximus, & de anima Beatæ
20 † Virginis de qua canit Ecclesia. Ab initio, & ante sæcula creata sum; &c. Intelligendum est quòd fuit creata in tempore, sed magis accepta, & magis grata, & magis dilecta, quam vniuersæ aliæ creaturæ, antequam in esse producerentur, cum aliæ creaturæ erant in mente diuina, ipsa Beata Virgo erat præ omnibus alijs magis dilecta, & magis grata, & magis accepta, & ita appropriatur illa lectio Beatę Virginis Aduocatę nostræ, nam secundum literam, intelligitur de sapientia Dei, nec te
21 moueat vocabulum, creauit; † quod verificatur in materialibus ex nihilo, vt docet philosophia, quia
22 † Spiritus sanctus qui, vbi vult spirat, & omnia suauiter disponit non subditur Philosophorum regulis, aut vocabulis Grammaticorum.

QVAESITVM XXIV.

SVMMARIVM.

1 *Anima separata, an possit se ipsam mouere.*

2 *Animæ bonorum, & malorum ad receptacula, quorum ministerio ducuntur?*

3 *Et quid de animabus puerorum sine Baptismo morientium.*

4 *Quæ sit pæna damni.*

Quomodo Animæ conducuntur ad earum receptacula?

1 Dic, quod licet Anima, † quæ mouet corpus in hac vita, separata, possit se ipsam mouere,

vt affirmat Diu. Hieronymus ad Pammatium, nihilominus debet credi, quòd ad receptacula eis de-
2 stinata, † conducantur ministerio Angelico, quæ Beatorum sunt, vt S. Benedictus vidit animam Sācti Germani Episcopi Capuæ cōduci ab Angelis in Cœlum. Ità etiā, quæ ad Purgatorium destinatæ sunt, conducuntur ab Angelis, Custodibus earum, quorū societas magnæ illis consolationi est, Sotus 4 sent. dist. 45. q. 1. ar. 3. sed animæ quæ sunt destinatę ad pęnas Inferni, conducuntur à dæmonibus, ità scribit Diu. Cyrillus Alexandrinus, in oratione, de exitu animæ, vbi dicit, quod animæ damnatorum, ab Angelis Custodibus derelictę trahuntur ad pœnas, magna afflictione, & cruciati-
3 bus. Idem dic de animabus † puerorum, qui decesserunt sine Baptismo, quod conducantur à dæmonibus ad Lymbum, ibi num-
4 quam visuræ Deum, quæ † pœna damni vocatur, vt infrà, suo loco dicetur; Lymbus vt dictum est, insatiabilis interpretatur.

QVAESITVM XXV.

SVMMARIVM.

1 *Anima habet per se virtutem motiuam non tamen mouetur à receptaculo sine Dei beneplacito.*

2 *Enumerantur aliqua exempla animarūq; quæ ex dispensatione diuina ad tempus exierunt ab earum receptaculis.*

3 *Animæ existentes in Purgatorio aliquando ex diuina dispēsatione inde exeunt, & qualiter.*

4 *Reuersi ex Purgatorio ad hanc vitam securi sunt de eorum salute, & quomodo.*

An animæ exeant aliquando ab earum receptaculis, & quomodo?

1 Dic, quod anima, † licet habeat per se virtutem motiuam, non tamen potest moueri à receptaculo, sine Dei beneplacito, vt ait Augustinus, in l. de cura pro mortuis, cap. 13. vbi exemplificat de eius matre. Dic insuper, quod animæ purgatę, euolant ad Cœlum associatæ ab Angelis. De alijs quòd ex Dei dispensatione
2 possunt exire ad tempus, vt † Samuel apparuit Sauli, vt Augustinus lib. cit. c. 15. & 16. & vt Moyses, & Elias apparuerunt in monte Tabor coram Domino trasfigurato, & idem August. dicit loc. cit. de Beato Fęlice Martire Nolano, quod visibili corpore apparuit in auxilium suorum Ciuium, dum à Barbaris oppugnabantur. D Greg. lib. 4. dialog. cap. 10. 36. 40. & 55. numerat multos, qui ex

Purgatorio in hoc mundo apparuerunt, & hoc solet permittere Deus, vel pro bono ipsius animę, quæ apparet vt viuorum pro ea suffragia imploret, vel pro bono illius cui apparet, vt illum admoneat, & vt corrigat, & vitam suam rectius ducat, vide P. Petrum Lyreum de apparitionibus animarũ.

Dic etiam quòd aliquando, ex diuina dispensatione, animæ, † quæ in Purgatorio sunt, reassumunt propria corpora, & resuscitati redeunt in hunc mundum, vt de resuscitatis à diuersis sanctis viris legitur, sed tamen notandum, quòd quando aliqua anima exire permittitur à purgatorio ad tempus non caret interea eisdem pœnis, quas patiebatur in Purgatorio, vt dicitur etiam de dæmonibus, qui ex Inferno exire permittuntur, quod semper secũ habent ignem Inferni, & sic etiam animæ illæ habent secum ignem eam purgãtem, alias prolungaretur eius purgatio, & exire de Purgatorio, resultaret eis in damnum, vt de multis apparitionibus legitur.

Hic sciatur, quod omnes, qui resu-
4 scitati † redeunt ad hanc vitam, sicut erant in Purgatorio de eorũ salute securi, sic sunt in hoc mundo, alias esset eis Reditus ad hanc vitam periculosus. Abulensis in cap. 4. lib. 4. Reg. & Sot. in 4. sent. dist. 45. tenent resuscitatos ex Lymbo, vel Purgatorio, fuisse cõfirmatos in gratia. Adde, quòd in hac vita, possunt abundãtius mereri, imò, & cum operibus pœnalibus, possunt satisfacere pro pœnis quas in Purgatorio debebant pati, quia licèt sint Viatores, sunt etiam in gratia.

QVAESITVM XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Animæ Beatæ ex permissione Dei exeuntes à Paradiso non desinunt esse Beatæ.*

2 *Ita etiam damnatæ exeuntes ab Inferno secum pęnas Inferni deferunt.*

3 *Animæ Beatæ an possint ad eorum libitum exire de cœlo in hunc mundum.*

An Animæ Beatorum possunt aliquandò exire de Paradiso, vel quę sunt in Inferno damnatæ possunt inde exire?

Dic, quod si præmittitur à Deo exire ad aliquem bonũ
1 finem in hanc vitam, † nunquam Beatæ desinunt esse Beatæ, quia semper vidẽt Deum, & fruuntur illius visione, qui vbique eis præsens est, & similiter damnatæ
2 † vbicumque sint habent secum pœnas infernales, D. Tho. 3. par. q. 69. ar. 3. qui addit quod animæ
3 † Beatæ ex diuina dispensatione possunt ad libitum exire de cœlo in hunc mũdum, sed hæc libertas earum est semper conformis Dei

bene

beneplacito, & ita intelligenda est sententia D. Hieronymi, cōtra Vigilantium, animas scilicet Apostolorum, & Martyrum, posse vbi voluerint præsentes esse, quæ tamen, vt dictum est volunt, quod vult Deus de eis.

QVAESITVM XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Marcellus quidā vir sanctus fuit resuscitatus à Sancto Fortunato.*

2 *Animæ verè per sententiam damnatæ, vel beatificatæ non possunt iterum redire ad hanc vitam.*

3 *Desiderare visiones Sāctorum, an sit peccatum.*

An Animæ Beatæ in Cœlo, vel damnatæ in Inferno possint, assumptis corporibus resuscitari?

DIc, ex sententia D. Gregorij, dialog. lib. 5. quòd à
1 S. Fortunato, † fuit resuscitatus Marcellus, homo sanctus, qui ab Angelis fuerat in locum optimū portatus, ideò probabiliter dici potest, quòd hic Sāctus Vir Marcellus, non erat finali sentētia Beatus, sed præuidens Deus quòd erat resuscitandus, suspenderat tali modo sententiā, quòd idem dici potest de quodam gētile, Imperatoris consangu neo qui fuit resuscitatus à Diu. Petro, & vt, de Traiano, & Falconella, vt infra.

Sed animæ, quę sunt verè damnatæ, vel verè beatæ non possunt redire, ad hāc vitam, quia sic essent iterū Viatores Bellarm. c. 8.
2 de Purgat. l. 2. ex Augustino l. 21. de Ciuit. Dei c. 24. Imò, si damnatus posset redire in hunc mūdum, vt Viator, posset liberari culpa, & pęna quod negat Abulensis c. 57. lib 4. Regum.

3 Nota hic, † quod desiderare apparitiones Defunctorum potest esse peccatum curiositatis, vt ad sciendum attrocitatem pœnarum infernalium, vel ad sciendum, si consanguinei, vel alij sint in Inferno, vel Purgatorio, sed si id cuperet aliquis, vt magis in fide confirmaretur, non esset peccatum, vel si cuperet, vt cognito statu pœnarum vitam emēdaret; sed debet esse cautus, ne à dœmone deludatur.

QVAESITVM XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Anima separata à corpore qualiter intelligat, & nu. 3.*

2 *Anima dum est in corpore habet duplicem cognitionem intellectiuam.*

3 *Verba psal. in die illa peribunt*

omnes cogitationes eorũ;qualiter intelligantur.
4 *Et qualiter verba illa Eccles. mortui nil norunt amplius.*
5 *Anima exuta corpore, an retineat cognitionem, vel virtutem sensitiuam.*
6 *Anima in Inferno patitur pœnam sensus,& quomodo.*

An Anima separata à corpore intelligat?

DIc,quòd sic,sed diuerso modo, quàm cum est in corpore, quia † tunc intelligit per conuersionem ad phantasmata, vt Arist. 3.de Anima, Sed notãdum,
1
2 quòd anima,† dum est in corpore,duplicem habet cognitionem, intellectiuam, quæ exercetur per intellectum, & sensitiuã,quæ per sensus; itaque anima non intelligit per sensus,à corpore separata, sed retinet cognitionem intelle-
3 ctiuam,sed alio modo, † nam, cũ habeat diuersum modum essendi, sic diuersum modum intelligẽdi, nec intelligit per species innatas, quia à principio est, vt tabula rasa,vt idem Arist. nec per species, quas abstrahit à sensibus quia non habet organa sensus, nec per species prius abstractas, & conseruatas, quia si ita esset, anima pueri nihil post mortem intelligeret. Sed dicendum quod anima intelligit per species ex influentia diuini luminis participatas. nã anima fit particeps illius influentiæ, quæ influentia statim ei descẽdit, cum à corpore separata se ad superiora conuertit, itaque anima separata habet cognitionem intellectualem D.Ant.I c.cap.6.

Nec contradicunt huic conclusioni loca illa diuinæ scripturæ,nempè
3 Psalmi † 145. in die illa peribunt omnes cogitationes eorum,idest, quod peribunt veniente morte cogitationes eorũ,quas habebant circa terrena; & quando dicitur
4 Ecclesiast.cap.9.mortui † nil norunt amplius, intelligẽdum est ad merendum, quia sequitur ibi Salamon, nec habent vltra mercedem; itaque non norunt modum merendi, sed habent alias cognitiones,ideo in hoc loco dicit Lyra,quod mortui nihil norunt vnde ad bonum possint reuerti.
5 Sed de cognitione sensitiua † dic, quod nõ remanet in anima separata à corpore, quæ dependet ab organis corporeis;quibus cũ anima careat, eam non potest habere, remanet tamen in ea separata, virtus & origo cognitionis sensitiuæ,quam non potest producere in esse sine corpore,& in hoc sensu est intelligenda sententia Diu. August.;cum anima recedit à corpore,secum trahit omnia, sẽsum, imaginationem, cap.15. de spiritu,& anima,& in lib.de dogmatibus,cap.16. solum hominem,credimus habere animam sensitiuã, quæ exuta à corpore,viuit,& sen-

sus suos tenet. Vtraque sententia intelligenda est, quod anima virtualiter exuta à corpore, retinet virtutem sensitiuam, & quod radicaliter est in anima potentia, & virtus operationũ sensitiuarum.

Et si contradicet aliquis, quod, cum
6 anima † patiatur in Inferno pęnã sẽsus quomodo erit verum, quod anima separata, nõ habet sẽsum? Respondebis huic, quod est verũ, quod anima separata, tàm in Inferno, quàm in Purgatorio, patitur pœnam sensus, quæ consistit in patiẽdo illa tormenta, & sacra Theologia, illud pati animarum, vocat pœnam sensus, quia anima eam sentit ab igne, vt instrumentum Diuinæ Iustitiæ, altera verò pœna, dicitur pœna damni, quæ consistit in priuatione beatificæ visionis, nec positiuè sentitur.

QVAESITVM XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Scientia acquisita in hac vita, an remaneat in altera.*

Quomodo Anima intelligat in altera vita?

Dic, quod anima separata à corpore, intelligit, & per species acquisitas in hac vita, & per species infusas à Deo, nam
1 scientia, † quæ acquiritur in hac vita, quia est habitus, qui fundatur in anima, remanet in altera vita; D.Tho.1.par.q.89. art.1. & art.5.& 6. Nec obstat sententia Eccles. cap.9.dicentis, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, quia intelligitur, quod non erunt ad merendum.

QVAESITVM XXX.

SVMMARIVM.

1 *Anima separata à corpore quã cognitionem habeat de alijs animabus.*

2 *Animæ separatæ à corpore quã cognitionem habeant de naturalibus.*

3 *Animæ separatæ à corpore, an intelligant futura.*

An anima separata à corpore, habeat cognitionem de alijs animabus separatis?

1 Dic, quod sic, sed† cognitione naturali ipsius animæ, hinc legitur, Luc.16.de Epulone vidẽte Lazarum in synu Abrahæ, & ipsum Abraham, sed de Angelis, cum tali cognitione naturali, habent imperfectam cognitionem, sed hoc intellige de animabus separatis in communi; & alio modo dicendum est, de cognitione, quam habent animæ in gloria, nã ibi intelligunt perfectiori modo, vide D. Thom.1. par. quæst.89.
2 & hic nota, † quod animæ sepa-

ratæ habent cognitionem de omnibus naturalibus, confusam tamen, & communem in generali. August. super Genes. 9

3 Nota etiam, quòd † animæ separatæ non intelligunt futura, sicut nec Angeli, nec dæmones, nisi, vel in suis causis, vel per reuelationē, non tamen per species cognitione naturali, D. Tho. l. c. q. 62. Sed bene cognoscūt singularia; quia Luc. 16. Diues cognoscebat statū suorum fratrum, & hoc, vel ex influentia specierum, vel à Deo, vel per conuersionem ad intelligibile, D. Anton. l. c.

QVAESITVM XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio aliquorum circa hoc quæsitum, & distinctio Authoris, num. 2.*

3 *Epulo quomodo in Inferno potuit scire statum suorum fratrum in mundo.*

An anima separata sciat, quæ fiant in hac vita, & quæritur de anima separata in communi, non habendo respectū ad animas beatas, de quibus infra.

1 Dic, quòd aliqui dixerunt, quòd † non, & mouentur loco illo Paralipomenon cap. 34. vbi Deus loquens cum Rege Iosya, dixit, colligam te ad Patres tuos & infereris in sepulchrum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod inducturus sum in locum istum, & loco Iob cap. 4. siuè fuerint filij eius nobiles, siuè ignobiles, nō intelligens; & D. August. in lib. de cura pro mortuis, cap. 13. & 15. idem affirmat, & D. Greg. idē tenet lib. 12. cap. 17. moralium, & affert rationem, quia cum animæ illæ sint separatæ ab hac vita, & luce, & nostro consortio, nihil ad eas de nobis, vt sciant nostras actiones.

Sed pro clariori responsione est
2 † distinguendum, quod duobus modis possumus loqui de hac intelligentia animæ separatæ, vel per cognitionem naturalem, & per species mediantibus sensibus, & hoc modo nō intelligunt, quia non habent sensus, nec cognitionem sensitiuam, vel per species à Deo infusas, vel per reuelationem, & hoc modo scire possunt animæ separatæ, quæ fiunt in hoc mundo, & ita distingunt Doctor. August. & Gregor. l. c. Sed animæ beatæ videntes Diuinam Essentiam in qua tanquam speculo relucent omnia, vidēt, & intelligunt multa, quę non intelligunt aliæ animæ, vnde dixit August. quid non vident, qui videntem omnia vident?

Conclude ergo, quod animæ separatæ, non cognoscunt, quæ in mundo aguntur, vide D. Greg. 8. Moral.

Nec est allegandus locus, Luc. 16.

de

3 de diuite † Epulone, qui videtur ſcire ſtatum ſuorum fratrum, quia potuit ſcire, non per ſe ipſum, ſed vel per animas deſcendentes ad infernum, vel per Angelos bonos, vel malos, vel per reuelationem Spiritus ſancti, Auguſt. 13. q. 2.

Vel dici poteſt, quòd Epulo curabat ſtatum fratrum, etiam ſi ignorabat, ſicut habent curam viui de mortuis etiam ſi neſciant ſtatum eorum D. Anton. l. c. ex ſent. Diu. Thomæ.

QVAESITVM XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Animæ Defunctorum quare aliquando appareant viuis, & num. 2.*

An animæ Defunctorum appareãt aliquando viuis in hoc mundo?

1 Dic, quòd ex permiſſione diuina † apparẽt viuis aliquãdo vt conſtat ex multis exemplis, & hoc, vel ad aliquod annunciandum, vel in corporibus proprijs, vt Matth. penult. multa corpora ſurrexerunt, & apparuerunt multis, vel in corporibus aſſumptis, vt potuit eſſe corpus Moyſi, in trāſfiguratione Domini, & hoc eſt miraculum, & Diuina permiſſio.

Nota hic obiter declarationem loci difficilis, & ſanè lubrici Epiſtolæ B. Thadæi Apoſt. in his verbis, cū Michael Archāgelus altercaretur cum diabolo de corpore Moyſi, &c. quod dœmon volebat manifeſtare corpus Moyſi pro bonō populi à Deo occultatum, vt illū ad idolatriam prouocaret, & illud adorare faceret, quod Michael impediuit.

2 Vel dici poteſt, † quod hæ apparitiones animarum defunctorum fiunt per operationem bonorum Angelorum, etiam Inſcijs ipſis mortuis, vt legitur de apparitione S. Ambroſij in natali S. Martini, nã illa fuit angelica, ex D. Anton. l. c. & Diuus Nicolaus, etiam apparuit Conſtantino minaciter ei præcipiens, ne tres tribunos occideret.

QVAESITVM XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Animæ ſeparatæ regulariter nō poſſunt exire à receptaculis eis aſſignatis.*

2 *Animæ quæ ſunt in Purgatorio purgatis pœnis ad Cœlum volant Angelis aſſociatæ.*

3 *Animæ quibus permittitur venire in hunc mundum ſunt ſecuræ de eorum ſalute.*

4 *Et hæ mutant locum, & non ſtatum.*

5 *Exempla aliquorum qui fuerūt liberati ab Inferno, & num. 6.*

6 *Animæ damnatæ non poſſunt*

exire ab Inferno sine per missione diuina, & tunc secum pœnas circumferunt.

7 *Mortui an sciant quid agatur in hoc mundo.*

An animæ defunctorum possunt ad libitum venire in hunc mundum?

1 Dic, vt infra, vltra supradicta, quod † regulariter animæ non possunt exire ex receptaculis eis assignatis, vt videtur sentire Aug. in lib. de cura pro mortuis cap. 13. loquens de sua matre quæ si posset exire, sæpè ad eum veniret mortua, quæ viua eum per mare, & per terras, tanquam dilectum filium sequuta fuit, nec, addit August. est facta crudelior, quia facta fęlicior.

2 Sed animæ, quæ sunt in Purgatorio purgatis pœnis ad Cœlum euolant Angelis associatæ, vt supradictum est. Sed dici potest quod aliquæ ex peculiari Dei dispensatione, aliquando exeunt, vt de Samuele legitur 1. Regum cap. 28. & testatur Aug. l. c. c. 15. & 16. & vt legitur de Moyse, & Elia, Matth. c. 17. & de Beato Fęlice Martyre Nolano, qui apparuit suis Ciuibus contra Barbaros eos oppugnantes. D. Gregor. affirmat multos ex Purgatorio apparuisse in hac vita, quarto dialog. c. 10. 36. 40. & 55. & hoc solet Deus permittere, aut, vt prosit ipsis animabus, vel vt prosit ipsis, quibus apparent. Et regulariter solent esse animæ quæ sunt in Purgatorio, nec tamen, vt dictum est per illud tempus, quo sunt in hoc mundo, cessat eorum pœna, quia alias, differretur tempus volandi ad Deum, & esset ei afflictio venire in hunc mundum, quod idem potest dici de dæmonibus, quod extra infernum, adhuc cruciantur igne illo.

3 Sed notandum, quod † animæ, quibus permittitur venire in hũc mundum ad tempus, sunt securæ de eorum salute, vt erant in Purgatorio, idem dic de resuscitatis in lege veteri, ex Lymbo, vide Abulens. l. 4. Reg. c. 4. & Sotum in 4. dist. 45. art. 4.

Concluditur ergo quod si permittitur à Deo animabus, vel q̃ sũt in Cœlo, vel quę sunt in Inferno, vel quæ sunt in Purgatorio redire in

4 hunc mundum, † mutant locum, sed non statum, D. Thom. 3. par. q. 69. art. 3. ad tertium, imò idem dicit ibidem, quod animæ beatæ possunt exire ad libitum, quia cõformes sunt diuino beneplacito.

Congruenter additur hic quod cir-

5 cumfertur de † Traiano Imperatore cuius triumphalis arcus, hic Beneuenti integer ad hæc vsque tempora, & porta aurea vocatur, cernitur, & de Falconilla, qui dicuntur liberati ex Inferno, de Traiano affirmat Damascenus in sermone de Defunctis, quòd anima Traiani fuit liberata ex Inferno inferiori ad preces S. Gregorij, cũ

enim Gregorius transiret per forum Traiani Romæ recordatus illius Iustitiæ, & præcipuè in viduam cui suum filium concessit in filium, quia viduæ filium, quo oppresserit; orauit humiliter Deũ pro eo, & audiuit vocẽ, ego exaudiui tuas preces, sed in posterum noli pro talibus orare, & addit Damascenus ibi, qđ totus oriens, & occidens id testantur; Idem dicit fuisse similiter liberatã Falconillam gentilem fęminã ad preces Sanctæ Theclæ. Ricard. in 4. dist. 45. dicit Traianum resuscitatum in hoc mundo, egisse pœnitentia & sic saluatũ; sed hæc sententiã cõtradicit illi sermoni, Damasceni, in quò habetur quòd Traianus ad cęlũ euolauit statim.

Durandus ibidem q 2 ad tertium, quod fuit priuilegium particulare, vt Traianus non condemnaretur perpetuò, sed ad tempus, pro quo erat oraturus Gregor. plusquam tercentis postea annis.

Aliqui dubitant de sermone antedicto. quòd nõ sit Damasceni, quia affirmat in vitam Sancti Gregorij Ioannes Diaconus lib. 2. cap. 44. illum sermonum fuisse repertum in quadam Ecclesia Angliæ, imò Melchior Canus. lib. ij. de locis cap. 1. tenet, esse historiam fictam, licet satis defendat Alfonsus Ciacone in Apolog. Sot. in 4. dist. 45. dicit esse durum, illã credere verã esse. Illustriss. Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 8. dicit esse Apogrifam, & eam reijcit multis rationibus.

6 Sed vtcunque ✝ sit de hac Historia de Traiano, & Falconilla, extãt aliæ historię de aliquibus resuscitatis ex cœlo, & ex inferno, vt affirmat Gregorius lib. 1. dialog. vt de Marcello resuscitato à Sancto Fortunato Episcopo & Sulpitius scribit, D. Martinum resuscitasse, quendam, qui laqueo se suspẽderat, & Beata Agnes resuscitauit filium Præfecti, qui eam opprimere volẽs subitanea morte correptus erat, vt affirmat S. Maximus in sermone 2. de Sãcta Agnese, & D. Ambrosius, idem affirmat sermone primo. Cõcluditur; quod si aliquis fuerit liberatus ex Inferno, quod ille non fuerit ibi condemnatus in perpetuum, sed ad tempus, & quod Deus præuidens, qđ pio eo orandum erat, suspendit tali modo sententiam.

Addo hic de Traiano, quod respondens Plinij Epistolæ, ex Bytinia de illis primis Christianis scribentis, hoc initio sollemne mihi est, &c. respõdit in fine Traianus his verbis libellos sine nomine non recipias, hoc enim pessimi exempli est, nec est huius nostri secli, hæc Traianus in Epistola responsiua ad Plinium, tunc Proconsulẽ Bythiniæ.

Nota quòd hanc de Traiano hystoriam non probant Baronius in Annalib. & Traianum fuisse pessimum Imperatorem scribit Aio, & Spartianus, antiquissimus scriptor teste Baronio in Martyrologio 27. Ianuarij.

Adde

7 Adde his, quod † animæ damnatæ non possunt exire de Inferno absq; permissione diuina, & speciali gratia,& tunc semper circũferunt in seipsis pęnas infernales, sicut,& dœmones, & hoc vsque ad diem iudicij, nam postea, nec ipsis cum corporibus,nec dœmonibus,inde exire permittitur, vbi nulla est redemptio.

Cardinalis Bellarminius, l.c. in fine tenet,beatos verè,& absolutè dãnatos, non posse regredi in hanc vitã,vt sint iterum viatores, quia Beati sunt deputati ad vitã æternam,& damnati ad supplicium æternum, quia possent damnati particulari Dei iudicio,vt viator, operari bona,& sic euadere pœnas, quod est falsum Abulen. tenet contrarium 4. Regũ cap.57. sed D. August.de Ciuit.Dei c.24. l.21. fauet sententiæ Cardinalis Illustrissimi, quæ est satis rationa-

7 bilis.Nota hic quòd † D.Augustinus in libro de cura pro mortuis,dubitat,qđ mortui nesciãt,q d agant in hoc mundo eorũ filij, & confirmabat suam sententiam, quia ab eis non visitabatur Diu. Gregorius tenet,quod sciant,quia vident animæ beatæ, omnia in Verbo D.Anton.l. c. titul.15. & animæ damnatæ recordantur habuisse fratres,vt de Epulone.

QVAESITVM XXXIV.

SVMMARIVM

1 *Qua animæ eãt ad Purgatoriũ.*

2 *Dæmones in Purgatorio an cruciant animas.*

3 *Exiſtētibus in Purgatorio multum prosunt suffragia viuorum.*

Quæ animæ eant ad Purgatorium?

1 DIc eas animas † ire condemnatas ad Purgatorium, quæ ab hac vita discedunt in gratia Dei, sed vel sunt obnoxiè alicui pœna temporali, pro qua sufficienter non satisfecerunt,vel discedunt cum culpa veniali. Et inde purgatæ animæ secundum Dei placitum euolant ad Cęlum, vel per se ipsas, vel comitantibus Angelis, & præcipuè Custodibus.

2 In Purgatorio † dœmones non cruciant animas,sed insultant,& irrident eas, & notandum, quod flamma ex Inferno exaltans eas conpurgat, Sot. 4. sent. dist. 45.

3 q.1. art.3. & existētibus † animabus in Purgatorio, multum prosunt suffragia viuorum,hinc legitur apud D.Gregor. l 4. dialog. cap.50.& 55. quod ipse liberauit à pœnis purgatorij celebratis triginta Missis animam Paschasij, similiter in cap.55. quod liberauit quēdam suum Monachum. Gregorius Turonicus in l.de gloria Confessorum cap. 5 affirmat, quod apparuit D. Martino, Vitalina virgo, narrans ei adhuc esse in Purgatorio, ob leue quodam

peccatum,

peccatum. & propterea eius precibus, fuit liberata. Affirmat venerabilis Beda in 3. lib. suæ historiæ c. 13 & lib. 5. duos homines ad vitam reuocatos, qui multa de pœnis Purgatorij narrarunt. Abbas Guglielmus in vitam S. Bernardi lib. 1. cap. 10. testatur de quodam Religioso, liberato à pœnis Purgatorij, Sancti Bernardi suffragijs. Multa de huiusmodi exempla habentur in speculo historiali Vincentij cap. 23.

QVAESITVM XXXV.

SVMMARIVM.

2 *Locus Purgatorij, vbi sit, & num. 2. & 3.*

4 *Purgatorij locus, an habeat eundem ignem, quem habet locus Inferni?*

5 *Anima est causa efficiens peccati ideo ipsa sola punitur in Purgatorio.*

6 *Animæ quæ sunt in Purgatorio, an dicantur esse in Ecclesia triumphanti, vel militanti?*

De loco Purgatorij, in qua mundi parte sit.

1 DIc, quod aliqui † tenuerunt; non esse locum vnum determinatum Purgatorio, & purgari animas in loco, vbi peccauerunt; & huius sententiæ fuit Vgo de S. Victore lib. 2. de sacram. q. 16. c. 4. Sed hæc sententia non potest substineri, quia sequeretur, animas purgandas esse in diuersis locis, quia peccauerunt in diuersis locis. Vnus ergo est locus communis Purgatorij, vt Catholica veritas docet; & si aliquando purgatæ sint aliquæ animæ in loco particulari, hoc fuit ex diuina permissione; vt affirmat D. Gregorius l. c. c. 40. & 55. de anima Paschasij, quæ purgata fuit in Balneo puteolano; & de anima S. Seuerini, scribit Petrus Damianus Epist. 13. cap. 7., quod purgata est in quodam flumine. Hoc fuit diuinum donum, vt dictum est, pro aliquo bono Deo noto; & quia propter earum leues culpas non meruerant ordinarias pœnas Purgatorij; hinc D. Gregorius dicit 4. Dialogorum fuisse reuelatum quibusdam sanctis, animas quorundam defunctorum esse destinatas ad purgandas earum pœnas, vel in vmbra, vel in glacie.

2 Aliqui tenuerunt locum Purgatorij esse in quadam media regione inter cœlum, & terram; horum assertum refert, & confutat D. Thom. in 4. dist. 21.

3 Est ergo † locus Purgatorij communis, & generalis inter viscera terræ, contiguus Inferno inferiori, vel clarius; Est in corde terræ circa Lymbum; idest insatiabilem locum, id .n. sonat Lymbus, & est communis sententia Theologorum,

rum,& D.Thomæ; Facit ad hoc oratio Ecclesiæ pro defunctis, quando orat, vt liberet animas Deus de pœnis Inferni; & de profundo lacu; & intelligit de pœnis Purgatorij, & inter alias huius loci expositiones, quas infra numerabimus, pro nunc dicimus, quòd ibi, Ecclesia orat pro agonizantibus; vide infra, quia habebis curiosas,& subtiles expositiones.

Venerabilis Beda lib.5. suæ historię cap.13. refert cuiusdam visionē, quam vidit locum Purgatorij,esse contiguum Inferno.

4 Et hic locus † Purgatorij, habet eundem ignem quem habet locus Inferni,sed hic est æternus, ignis verò Purgatorius est temporalis, & durabit vsque ad vniuersalem resurrectionem, licèt aliqui dicāt contrarium; vide Suares disp.46. sect.4.

Nec dicas,quia,si purgata est anima in Purgatorio, debet, & purgari corpus post resurrectionem vni-
5 uersalem,quia anima † est causa efficiens peccati, ideò meritò sola ipsa punitur in Purgatorio sine corpore,quòd pro eo,quo cooperatum est in peccatis, corrumpitur & fit cinis; quomodo, & ipsum videtur(licet in propriè)purgari. Ignis vero purgatorius,purgabit animas,quæ sunt spiritus,vt infrà habebitur.

6 Et notandū,qđ † animæ,quę sunt in Purgatorio, nō sunt in Ecclesia triumphanti, sed in Ecclesia militanti sub pœnis, quibus (vt dictū est) purgant peccata venialia, ac pœnas peccatorum mortalium, pro quibus,nō plenè,& sufficienter satisfecerunt. D. Anton. 3. par. tit.31.cap.1.de pœnis Purgatorij, vide eundem prima parte titul.6. cap.de Purgatorio,qui citat Paludanum,& affert caussas, propter quas Deus permittit animas purgari in alijs etiam locis; & nota quod animæ in Purgatorio non possunt peccare, vt infra latius.

QVAESITVM XXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo anima patiatur pœnam ignis in Purgatorio, & quomodo dæmonium in Inferno?*

2 *Minor pœna Purgatorij excedit omnem pœnam, quam passus est Christus.*

Quomodo animæ separatæ à corpore patiantur ab igne.

DIc,vt infra. Durandus in 4.
1 dicit † quod alio modo patitur anima ab igne in Purgatorio, & aliter dœmon in Inferno, quia ignis Inferni,non consideratur corporeus, nisi quia affliget corpora damnatorum post resurrectionem; & ideo animæ dam-

natorum,

natorum,cùm ſciant, quod cruciabuntur ab igne cum corporibus, ex ipſa conſideratione futuri ignis veriſſimè cruciātur mentaliter;& hoc plus, vel minus, ſecundum apprehenſionem futuræ pœnæ cum corporibus, & ſic patiuntur verè,quia ille ignis ante reſurrectionem, horrorem, & triſtitiam, & pœnam maximam eis ingerit: ſed dœmon, qui talem timorem non habet, patitur, ſecundum quādam ſimilitudinem, & adaptationem,ſed animę damnatorum patiuntur ſecundum veritatem,modo, quo ſupra dictum eſt, & explicat Durand.

Aegidius dicit,quòd animæ ſeparatæ & dœmon affliguntur ab igne verè, vt eſt inſtrumentum diuinæ Iuſtitīæ, & ſic agit ignis corporeus in purum ſpiritum, per verā immiſſionem.

Henricus de Candauo dicit, quòd anima ſeparata, & dœmon affliguntur ab igne incorporeo, & quòd per diuinam virtutem ſuperadditur aliquis habitus, quo ſpiritus pati poſſit ab igne, alias pati non poſſet.

Alij dicunt, quod anima ſeparata patitur ab igne quia remanſerunt ei potentiæ ſenſitiuæ ex virtute diuina; & nihil loquuntur de dęmonibus.

Alij dicunt quod anima ſeparata, & ſpiritus, patiuntur ab igne ſolùm per detentionem, per hunc modum, quia ſpiritus incorporeus, ſcilicèt anima ſeparata vel Angelus malus, quia ſecundum iſtas, ſpiritus incorporeus ità fit in vno loco, vt non ſit in alio, & habebit ille ignis, vt inſtrumentum diuinæ Iuſtitiæ, vt detineat ſpiritus, & hoc fit ei pœnale, quia non poteſt diuertere aliò, & retardatur à propria voluntate. D.Thom.4.& eſt communis, vide Anton.3. par. loco ſuperius citato.

2 Nota hic, quod minor pœna purgatorij excedit omnem pœnam, quam paſſus eſt Chriſtus, Gabriel in 4.diſt.2.q.21. D.Thom.3. par. q.46.& 4. ſent. diſt.4. & prius eo D. Auguſt. de vera, & falſa pœnitentia cap.18. & alij.

QVAESITVM XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Pœna purgatorij duplex eſt, & quæ?*

2 *Pœna ignis in purgatorio excedit omnem pœnam huius mundi.*

3 *Anima eſt maximè ſenſitiua, & omnis ſenſus in corpore eſt ab anima.*

4 *Quis in purgatorio ignis tormenta miniſtrat, & ignem accendat?*

5 *Animæ quæ ſunt in purgatorio ſunt ſecuræ de earum ſalute*

6 *Animæ in purgatorio exiſtentes an viſitentur ab Angelis:*

7 *Animæ quæ ſunt in purgato*

rio, an possint mereri, vel demereri?

8 *Culpè veniales an purgentur in purgatorio, vel remittantur in ipso mortis instanti?*

9 *Animæ existentes in purgatorio an orent pro viuis, & pro quibus signanter?*

10 *Inuocare animas purgatorij, vt orent pro nobis, an sit licitum?*

11 *Pœna damni in purgatorio, an sit maior qualibet pœna sensus in huius vitæ?*

12 *Et quid de pœna sensus?*

13 *Pœna damni consistit in priuatione summi boni.*

14 *Pęna sensus in purgatorio tanto fit mitior quanto ad finem purgationis accedit.*

15 *Pœnæ purgatorij an turbent rationem animarum?*

16 *Animæ in purgatorio existentes, an affligantur à dæmonibus?*

Quotuplex est pœna Purgatorij.

1 DIc, quod est duplex, † scilicet, pœna damni, idest carentia diuinæ visionis, & hæc est pœna maxima; Altera est pœna sensus, idest pœna ignis
2 † ardentissimi, & hęc excedit omnem pœnam corporalem, huius mundi, hinc August. ignis, inquit, Purgatorij, licet non sit æternus quoad officium, est tamen miro modo grauis, & excedit omnem pœnam mundi; de pœnit. dist 7. cap. vlt. & ratio est, quam assignat
3 D. Thom. quia † anima est maximè sensitiua, & omnis sensus in corpore est ab anima, & propterea sentit maximam pœnam, 4. sent. dist. 21. licet aliqui falsò, vt ait diu. Thom. asserant, quod ita sunt maximè absortæ dolore, vt nesciant se per ignem purgari. Sed hoc non est verum, quia si nescirent se per ignem purgari, non peterent suffragia fidelium viuorum, & substinent illas pœnas, non voluntate absoluta, sed conditionali, quia sciunt, nisi medentibus pœnis eas non posse ad cęlestem gloriam euolare.
4 Nec dicendum quod dęmones † ministrant ignis tormẽta, aut Angeli boni, vt dictum est, sed, quòd diuina Iustitia ignem incendit; potest tamen verisimiliter dici, quòd Angeli boni eas ad locum deducant, aut etiam dæmones Deo permittente assistunt purgationi eorum irridendo eas, vt dictum est 4. sent. dist. 21.
5 Nota hic, quod animæ, † quæ sunt in Purgatorio, sunt securæ de earum salute post expletam purgationem, & ratio est hæc, quòd existentes in hac vita, fidem habebant, quod quæ eunt ad purgatorium, purgatis pęnis ad Cęlum certò euolant, & hæc cogni

tio

tio remanet eis in altera vita. Sciunt etiam eas esse in Purgatorio, quia norunt in Iudicio particulari, & illum per Angelos Custodes dedoctæ sunt itaque sciunt ibi esse, id est in Purgatorio. & postea purgatæ ad gloriam transferentur. Hinc Michæas c.7. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam Iudicet, & faciat Iudicium meum: Et intelligitur de Iudicio vniuersali, & publico, & sequitur; Et deducet me in lucem, videbo Iustitiam eius.

6 Hinc nota, quòd verisimile † est, animas in Purgatorio existentes ab Angelis visitari, & consolationes ab illis recipere, imò eas intelligere ab eisdem, & Angelis, quòd liberatio earum, & in Cęlum euolatum, magnoperè ab anima bus beatis expectatur. Adde quod sciunt eas esse in gratia Dei, & quod in eis fit habitus charitatis, quia Deum amant, & peccatum detestantur, hinc colligunt, quòd saluabuntur, quia fidē in hac vita habebant, quòd, qui manet in charitate, saluatur.

7 Nota hic, quod † animæ, quæ sunt in Purgatorio, non possunt mereri, nec demereri, & hoc clarum est apud sacros Scriptores, in Ecclesiast. cap.14. Ante obitum tuum operare Iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum; Et Ecclesiast. cap.9. Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem. Et in Apocal c.10. Tempus non erit amplius; idest, ad merendum; & in multis alijs locis.

8 Nota etiam hic, quod † aliquæ animæ eunt in Purgatorium, etiam cum aliquibus culpis venialibus, quas necesse est remitti, antequam euolent ad gloriam, & ideo Durandus, & Paludanus, & alij, quos citat Suarez quęst. 87. disput. 11. sect. 4. de pœnit. quòd huiusmodi culpæ veniales, remittuntur in primo istanti separationis animę à corpore, quia cognoscens anima in illo puncto suum statum, actu charitatis erigit se ad Deum, detestans culpam illam & sic deletur culpa; aliqui dicunt, quòd remittuntur in Purgatorio dùm anima patitur illas pęnas, & patienter suffert cum alijs actibus bonis, ita sentiunt, diu. Thom 4. sent. dist. 21. quæst. 1. art. 3. diu. Bonauent. 4. dist. 2. quæst. 1. Sot. dist. 15. quæst. 2. art. 2. & alij permulti. Et hæc opinio videtur probaailior, quia non est improbabile, animas introire in Purgatoriū, etiam cū culpis venialibus, quas, dum remitti in futuro sæculo doctrina Patrum testatur, id potius in Purgatorio adimpleri, quàm in istanti separationis animæ, dicendum est.

9 Nota etiam, quòd † animæ existentes in Purgatorio, orant pro nobis ad Dominum, etiam si pro eis à nobis ad Deum oretur; & licet generaliter pro omnibus orēt, signanter tamen pro earum con-

san-

sanguineis, & charis orant; hinc spero, immò firmiter teneo, quòd consanguinei mei, & qui fuerunt amici, qui sunt in Purgatorio, pro me Antonio Ragucio orent, & similiter, si sunt in gloria. Itaq; animæ quæ sunt in Purgatorio orāt pro nobis. Vide Medinam q.5. de oratione; licèt alij dicant contrarium, qui citant pro se diu. Thom. 2.2.q.83.art.11. ad 3. sed est benè intelligendus ibi diu. Thom. adde, quòd animæ existentes in Purgatorio, orantes pro ipsismet, probabile est, quod earum orationibus, aliquid consolationis per Angelos recipiant, licet aliqui dicāt, quòd non petant, quia inordinatè peterent, nec de congruo impetrant, quia in hac vita. cum satisfacere potuissent, non satisfecerūt sed Suarez tenet, quod sic: de Purgatorio, disput 47. sect. 2.

10 Adde his, quod non † est prohibitum inuocare animas Purgatorij, vt orent pro nobis, & multi de facto, & re ipsa, inuocauerunt, attamē Illustriss. Bellarm. sacri Collegij maximum decus, & Societatis Patrum Iesuitarum magnum ornamentum, tenet contrarium; de Purgatorio c.25. quia, inquit regulariter animæ illæ non possunt cognoscere quæ fiant à nobis, nisi in generali, quod sumus in continuis periculis, aliqui tenēt cōtrarium, quod per Angelos petitiones nostræ illis innotescant.

Adde his de pęnis purgatorij, quod secundum d. Bonauent. 4. sent.

11 dist. 20. art. 1. quæst. 2. pęna † damni in Purgatorio non est maior qualibet pęna sensus in hac vita, vel in altera, nec quælibet pęna

12 sensus in purgatorio est maior qualibet pęna sensus huius vitæ, quæ opinio placet Illustriss. Bellarm. l.2. de purgat. cap. 14. Sed Doctor meus Angelicus 4. sent. dist. 20. quæst. 1. art. 2 Et cum eo Paludanus, Riccard. & Sot. in 4. dist. 13. art. 3. conclus. 2. & alij tenet, quod pęna damni Purgatorij, est maior omnibus pęnis, tàm huius vitę, quàm alterius, & ratio est, quia priuat summo bono, sed pęna sensus priuat quiete animi, ideo ista est minor illa ratione obiecti beatifici; Nec dicendum, quod tristitia illa, quæ resultat ex pęna damni, mitigatur spe futurę beatitudinis, & ideo minor, quia tristitia illa non dicitur pęna damni, de qua hìc sermo est, sed potius est effectus ipsius, & pertinet

13 ad pęnam sensus, sed propriè † loquendo pęna damni consistit in priuatione summi boni, ideo summa pęna, & ideo Doct. Ang. subiungit, quod pęna sensus in purgatorio est maior qualibet pęna huius vitæ, vt supradictum est, quod etiam firmat D. August. super Psalmo 37. illis verbis: Salui per ignem; grauior tamen est ille ignis, quā quicquid homo potest pati in hac vita & in lib. de cura pro mortuis cap. 18. de igne purgatorij scribens: Et si æternus, inquit non est, excedit tamen omnes

nes pęnas, quas aliquis in hac vita passus est: idem affirmat D. Anselmus in 1. ad Cor. cap. 3. his verbis, Grauior est ille ignis, quam quicquid homo pati potest in hac vita; idem in Elucidario; idem habetur in Epist. 305. diu. Aug. idem affirmat Cartusianus de Iudicio animarum cap. 14. idem venerabilis Beda super Psalmo 6. quod nullum supplicium, aut martyrū, aut latronum comparatur pęnæ Purgatorij, idem diu. Gregorius super eodem Psalmo; illum, inquit, ignem transitorium omni tribulatione existimo præsenti intollerabiliorem. Et si aliqui di-
14 cunt, † quod pęna sensus in purgatorio, quanto plus fini purgationis appropinquat, tanto mitior est, ita quod propè sit purgationem, & satisfactionem, tamen esto quod hoc probabile sit, illa pęna adhuc est grauior, & grauiter cruciat, vt instrumentum diuinæ Iustitiæ.

Vt sciatur grauitas illarum pęnarū, legatur in speculo dist. 5. exempl. 115. relatum ab Alberto Magno, & in alijs permultis exemplis: non propterea tenendum est, quod il-
15 læ pęnæ † ita graues turbent rationem animarum, vt fit in hac vita, sed & patienter illas tolerant, & Deum amant; Sunt ergo pęnæ illæ purgatoriæ acerbissimæ & tempore differunt à pęnis inferni; quia hæc æternæ illæ temporales, & tamen eas patienter tolerant, & quietè, vt eis dicat Ecclesia, quod dormiant in somno pacis, licet Bellarm. videatur dicere, quod de hoc nihil certi nunc haberi possit à nobis.

Nota etiam hic, quod loquendo secundum communem legem, ani-
16 mæ † quæ sunt in purgatorio non affliguntur à dęmonibus, sed ab igne, vt instrumento diuinæ Iustitiæ, & hæc est communis sententia Theologorum in 4. dist. 20. & si dicant aliqui Theologi, vt venerabilis Beda 3. lib. de histor. Anglicana cap. 19. quod aliquas animas, quæ in Inferno damnatæ non sunt, tamen dęmones affligunt, & idem affirmant Cartusianus de quatuor nouissimis. & Guglielmus in vitā S. Bernardi lib. 2. cap. 10. id dicas ex occulto Dei Iudicio esse, vt aliquas animas, quæ sunt in purgatorio, dęmones affligant.

QVAESITVM XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Pęnæ purgatorij non perdurabunt nisi vsque ad diem Iudicij vniuersalis.*

2 *Qualibet anima in purgatorio quanto temporis spatio existet?*

3 *Pœnæ purgatorij an tempore diminuantur, & decrescant?*

Quanto

Quanto spatio temporis credendum est, quod animæ permanebunt in pœnis Purgatorij.

1 Dic, quòd, vt supra etiam dictum est, pęnæ † purgatorij, non perdurabunt, nisi vsque ad diem Iudicij vniuersalis; quia tunc omnes animę, quæ ibi sunt, purgatæ erunt, & satisfecerunt, & propterea Purgatorij locus cessabit; hinc diu. Aug. lib. 21. c. 16. de Ciuit. Dei, purgatorias pœnas nullas futuras esse, nisi ante extremum Iudicium, & quod Doctor Sotus in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2. circa finem opinatur, quod quæ-
2 libet anima non erit in illis pęnis supra viginti annis, quæ opinio ratione sustentari nō potest, quia Ecclesia consueuit concedere Indulgentias per modum suffragij pro illis animabus ad satis supra viginti annis, imò centum, & supra.

Et nota hic, quod poenæ purgatorij tempore non diminuuntur, vt paulatim decrescant, sed sunt eædem, vt à principio taxatæ sunt, & si aliqui videntur contrarium sentire, vt apparet ex quibusdam reuelationibus, quas refert Beda, & Cartusianus de Iudicio art. 31. Intellige, quod poenæ illi per suffragia viuorum diminuūtur quo ad tempus, non quoad intensionem, vide Suarez de purgat. disput. 46. sect. 4. §. quæret.

Concludendum est ergo, quod poenas illas tam acerbas animæ, bono animo, & patienter ob Dei amorem, & tanquam eis, vtiles tolerant, vt se diuinæ voluntati conforment.

QVAESITVM XXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Viuorum suffragia mortuis in gratia prosunt etiam exhibita per malum ministrum.*

2 *Quæ debent concurrere, vt suffragia viuorum prosint defunctis.*

3 *Suffragia applicata in communi, omnibus animabus prosunt.*

4 *Quæ suffragia liberant citius animas à purgatorio?*

5 *Suffragia particulariter applicata, illi tantum prosunt, cui applicantur.*

6 *Suffragia pro pluribus applicata, omnibus pro rata prosunt.*

7 *Suffragia applicata ab existenti in peccato mortali, an prosint?*

8 *Indulgentiæ, an prosint defunctis, qui viuentes pro defunctis suffragia non applicuerunt?*

9 Suf-

9 *Suffragia an prosint si applicantes non sint in gratia?*
10 *Testator existens in peccato mortali, an consequitur fructum suffragiorum per eum dispositorum.*
11 *Quis sit causa principalis in suffragijs?*
12 *Malitia ministrorum an impediat fructum suffragiorum, quae fiunt nomine matris Ecclesiae.*
13 *Suffragia non prosunt defunctis nisi realiter exequutioni tradita.*
14 *Restitutio à testatore mandata an ei noceat, si ab haeredibus non fiat?*
15 *Suffragia etiam applicantibus prosunt.*
16 *Indulgentiae quomodo prosint defunctis?*
17 *Lucrans Indulgentias pro defunctis an sit necesse quod sit in gratia?*

Quomodo viui possint prodesse defunctis?

1 DIc, vt infrà, quod viui possũt suffragari mortuis † in gratia, quia potest vnusquisque pro altera satisfacere, imò suffragia viuorum prosunt etiam viuis, si pro illis offeruntur, imò secundũ Sotum in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. iuuant etiamsi per malum ministrum exhibeantur.

Sed quod suffragia viuorum prosint defunctis, affirmat Chrysost. homil. 69. & homil. 41. ad populum in 1. ad Corinth. per haec verba; Nõ lachrymae, sed oratio, & eleemosyna prosunt defunctis, diu. Aug. de verbis Domini, serm. 45. Auxiliamur mortuis, Missa, orationibus, & eleemosynis. diu. Ambrosius lib. 2. epist. 8. Debemus, inquit, associare mortuos, orationibus, plusquam lacrymis.

2 Sed multa debent † concurrere, vt suffragia viuorum particularia, prosint defunctis, scilicet, vt, qui offert, sit in gratia Dei; vt intendat applicare alicui defuncto; vt ille egeat, & sit capax, nam si in Paradiso est, non eget; si in Inferno est incapax; & quod debeat esse in gratia viuus applicans, affirmat diu. Tho. 3. par. q. 62. art. 6. & est communis Theologorum contra Sotum proximè citatum, qui potest intelligi de sacrificio Missae, quod valet ex opere operato.

3 Sed nota, quod si quis † applicaret suffragia in cõmuni, pro omnibus animabus in Purgatorio, aequaliter omnibus suffragarentur, & per † suffragia, quibus ani-4 mae illae citius liberantur, intellige sacrificium Missae, orationes, eleemosynas, Indulgentias Ieiunia, cilicia, corporis, afflictiones, & quaecumque alia opera satis-

factoria, quæ pro mortuis viui
5 applicant, & quando † applicantur alicui designatæ, & particulari animæ, vt si egi pro anima patris mei Ioannis, vel si pro anima Portiæ matris, illis tantum prosunt,& non alijs, ita diu. Thomas in additione quæst.71. art. 12. & alij Theologi in 4. licet alij teneāt contrarium, & male, quos diuus Thomas loc. citat. & Theologi confutant.
6 Notandum etiam, quod † suffragia viuorum pro defunctis, cum sint valoris finiti, quæ pro pluribus applicantur, eo pro rata, vt ita dicam participantur, itaque si animę pauciores sunt, plus participant, si plures, minus.
7 Notandum etiam, † quod suffragia non iuuant animas illas, si qui ea applicat est in peccato mortali, intellige de principali causa suffragij, vt de mittente eleemosynam pro Missa celebranda; non de seruo, qui est causa instrumentalis, qui eleemosynam portat, & valet, si est in gratia principalis dum mittit, etiamsi, quando seruus dat, Dominus ipsius peccauerat, quia sufficit. Et nota obiter, quòd Gaetanus 1. tom. opusc.
8 tract. 16. quæst. 5. tenuit, † quod Indulgentiæ non iuuant illis defunctis qui dum viuerent pro defunctis suffragia non applicauerunt, contra quam opinionem extat sententia diu. August. in Enchirid. c. 109. & 110. decedentes in gratia dum viuerent, meruerunt post mortem iuuari suffragijs viuorum.

Notandum etiam, quòd suffragia
9 non † prosunt animis defunctorum, nisi illi, qui ea applicant .s. principales sint in gratia, nihil tamen refert, vt sit in gratia, ille per quem applicantur suffragia, v.g. mitto per seruum eleemosynam pro defunctis, est necesse, vt sim ego Antonius in gratia, nec est necesse, vt seruus, sit in gratia; sufficit, vt sit in gratia causa principalis, quæ mittit eleemosynam, idest. Dominus qui mittit eleemosynam, nō autem causa instrumentalis, qui est seruus; & adde his, quod si dominus mandat fieri eleemosynam pro defunctis, existens in gratia Dei, sed quando fit eleemosyna, ille cecidit in culpā mortalem, adhuc valet eleemosyna; quia à principio erat in gratia, quando mandauit.

De testatis verò dic, quòd qui te-
10 statur † existens in peccato mortali, aliqua suffragia, si moritur in gratia, consequitur fructum suffragiorum, ita Gabriel. dist. 45. q. 2. art. 2. sed Suarez dicit, quòd est necesse, quòd hic testator, confirmet reuersus ad Cor. 1. ad gratiam Dei, testata prius, aliàs non cōsequitur; disput. 48. sec. 8. §. 15. de suffragijs, & ratio ipsius est, quia non potest satisfacere, quòd non procedit à voluntate hominis Deo grati: Vide Pinell. p. 1. de purgat.

Sed in alijs suffragijs dubitatur,

11 quis sit causa principalis, verbi gratia, si qui facit ieiunare alium, vel facit per alium dici septem psalmos pęnitentiales pro defunctis, vel officium defunctorum pro defunctis, vel illo qui ieiunat, vel qui orat,& c.est causa principalis, Sotus 4. dist.45 q.2. art.2. tenet quòd principalis causa in his operibus est ipse qui ieiunat, vel orat, contrarium tenuit Paludanus,itaque ille debet esse in gratia. Vide Pinell.loc.cit.de suf
De suffragijs verò,quæ fiunt nomine matris Ecclesiæ diu. Thom. dicit in quarto dist.45. quæst.2. art.1.quæst.2. Sotus ibidem q.2. art.1.& Nauar.de oratione c.19. conclus.4.num.59.c.20.num.39.
12 tenent,quòd in hoc casu † malitia ministrorum non impedit fructum suffragiorum pro defunctis, quia, vt ibi Nauarr. effectus hic procedit ex opere operato ex institutione Christi, vel Ecclesiæ licet Suarez de suffrag. disput.48. §.duo,& distinguit,vt ibi.
13 Adde his, quòd suffragia † pro defunctis non prosunt ipsis, nisi fuerint realiter executioni tradita,vnde si quis verbi gratia legat eleemosynam, non valet ei, nisi fuerit realiter data eleemosyna. Ex hoc apparet quantum peccãt hæredes non adimplentes voluntatem defunctorũ. Vide cronic. S.Francisci par.2. l.9. c.22. & inuenies pulchra exempla. Quò ve-
14 rò † ad restitutionem,ad quam tenebantur defuncti; dic, quòd si defunctus legauit fieri restitutionem,& ipse non peccauit non faciendo,quia non potuit facere, tunc non imputatur ei, sed hæredibus negligentibus.si possunt restituere. Sed si defunctus peccauit,quia potuit, & noluit, tunc ei imputatur negligentia hęredum. Et quod legitur in lib 6. reuelationum S.Brigidæ cap.66. respõdet Bellarminus l.2.c.16. de Purgatorio, quòd illæ apparitiones resultabant in vtilitatem hęredũ, si eis factæ erant, sin alijs, in vtilitatem illorum.
15 Nota hic, quòd suffragia † non solum prosunt defunctis, sed pręcipuè ipsis,qui ea applicant. No-
16 ta etiam, quòd † Indulgentiæ prosunt defunctis per modum suffragij, sicut viuis per modum absolutionis, vt infrà, vbi de Indulgentijs agitur,copiosius habebitur,interim sciatur,quod est necesse, vt, qui lucratur Indulgentias pro defunctis, habeat voluntatem lucrandi illas pro defunctis,& illis eas applicet,alijs mortuis non valent,& obseruat adimplenda prout in bulla Summi Põtificis. Et mente tenendum hic,
17 quod † lucrans Indulgentias pro defunctis,non est necesse,vt sit in gratia,quia Pontifex id in Bulla non requirit,sicut in Indulgentijs viuorum,& hoc fauore illarum animarum. Vide P.Lucam Finellum Societatis Iesu in tractatu de Purgatorio in fine.

QVAESITVM XXXX.

SVMMARIVM.

1 *Suffragia non prosunt damnatis in Inferno.*
2 *Suffragia an prosint pueris in Lymbo existentibus?*
3 *Suffragia an prosint Beatis?*
4 *Quomodo intelligitur quod particula Hostiæ immissa in calice est pro Beatis?*
5 *Suffragia Ecclesiæ non prosunt nisi existentibus in purgatorio, & refelluntur aliquorum opiniones in contrarium.*
6 *Historia Traiani precibus Diu. Gregorij resuscitati, qualiter intelligatur?*

An suffragia prosint omnibus defunctis?

1 DIc, quòd non † prosunt vllo modo damnatis in Inferno, quia dãnati sunt ostinati in odio Dei, imò pro ipsis orare, est peccatum mortale; hinc D August. non magis, inquit, se oraturum pro matre, quam pro diabolo, si sciret eam esse in Inferno. Nec
2 prosunt † suffragia pueris in Lymbo existentibus, propter eandem rationem, quia sunt in perpetuũ à regno cœlorum exclusi. Nec
3 prosunt Beatis, † quia non indigent nostris auxilijs, & iniuriam facit Sancto, qui pro eo orat. Et si in quadam oratione Ecclesiæ dicitur, quod solemnia altaris pro sint sanctis ad gloriam, id intellige, quòd prosunt eis materialiter, & extensiuè, quia videntes sacrificia illa in verbo gaudent non gaudio intenso, sed gaudio accidentali, iuxta illud, gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, &c. vt Luc. cap. 15.
4 Et cum dicitur, † quòd particula hostiæ immissa in calice. est pro Beatis, significatur, eos esse participes redemptionis Christi, & quòd gaudent de victoria dum erant milites in militanti hac Ecclesia. Dic tandem, quòd suffragia † Ecclesiæ prosunt solis, & omnibus animabus existẽtibus in Purgatorio. Vide Sot. 4. sentent. distinct. 45. quæst. 2. artic. 2. Errauit in hoc Origenes in libro Periarchon, quòd suffragia iuuẽt damnatos: errauerunt, & alij, scilicet, Aldisiorensis qui opinatus est, suffragia viuorum corroborare damnatos in pœnis, ad leuiter sentiendum, licet in quarto videatur aliter sentire. Alij somniauerunt, quòd suffragia prosint nonnullis damnatorum vsque ad diem Iudicij, fidelibus, non autem infidelibus. Alij etiam falsò dixerunt, suffragia in hoc iuuare damnatos, quòd aspiciẽtes pro eis orari in hoc mundo, minus dolores sentiunt, & hoc etiam falsum est,

quia

quia damnati non vident quæ in hac vita aguntur, vt August. in lib. de cura pro mortuis. Vide Sotum loco citato.

Nec obstat quod de Traiano legi
6 tur, nam historia † illa parum mouet diuum Thomam, & alios multos Theologos,& ideò dicũt, vel quia precibus diui Gregorij fuit resuscitatus per aliquod parum tempus, in quo conuerti potuit,& saluari, quod affirmat Aldisiorensis lib.4. in cap. de damnatis, vel quia fuit depositus loco Inferni, non in Inferno inferiori, quia erat liberandus precibus Sãcti Gregorij, licet apud Gregoriũ id non reperiatur. Sed Damascenus multum approbat. Et quòd Apostolos resuscitasse aliquos affirmant, dici posset, quòd non suscitauerunt nisi eos, qui inuincibili ignorantia Christianæ legis tenebantur,& propterea lege naturæ saluari poterant, vel Cathecumenos vel Christianos in Purgatorio existentes, sed malè sentit de hac historia Traiani Abulensis super 4. lib. Regum, vide Sotum loco citato. Vide Illustriss. Baronij in Martyrologium notationes 23. mensis Ianuarij.

Nota hic quod minor pœna purgatorij excedit omnem pœnam quã passus est Christus. Gabriel in quarto dist.2.q.21. diuus Thom. 3 par.q 46 & 4.dist.4. diuus Augustinus de vera, & falsa pœnitentia cap. 18. & alij.

DE SINV ABRAHÆ.

QVAESITVM XXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Abraham fuit dictus Pater omnium credentium,& quare?*

2 *Sinus Abrahæ qui locus sit, & num.4. & 5.*

3 *Sinus Abrahæ quomodo apud Hebræos vocabatur?*

6 *Sinus Abrahæ vbi fuit illis quadraginta diebus inter Resurrectionem, & Ascensionem.*

7 *Christus descendens ad inferos, idest ad Lymbum, an extraxerit aliquem de inferno, de Lymbo puerorum, vel de purgatorio?*

Quare Sinus Abrahæ dictus sit locus pacis, & gaudij?

1 DIc, quòd † Abraham fuit pater omnium credentium, quia ei fuit reuelatum mysterium venturi Messiæ, & ipse credidit spei contra spem,& fuit ei reputatum ad iustitiam, & fuit appellatus pater credentium, & ideo, vt pater recipit filios in sinu suo, sic Synus Abrahæ dicitur locus pacis,& locus, in quo recipiebantur animæ post peccatum Adæ. Nemo saluatus est, nisi per fidem

Christi, & locus illæ dictus est synus † Abrahæ, quia per fidem Messiæ, quam tenuit Abraham illic recipiebantur animæ antiquorum Patrum & erant ibi securæ de earum salute.
2

3 Hic locus † Synus Abrahæ, vocabatur apud Hebræos. Custodia animarum Iustarum, & apoteca Iustorum, in quem locū recipiebantur, vt dictum est, animæ illorum qui vixerant sub fide, quam tenuit Abraham, & hoc ante Christi mortem; quia non erat apertum cœlum, clausum ob peccatum Adæ, & à Christo fuit appellatus synus Abrahæ, ad significandum fidem Abrahæ, cuius virtute quisque saluabatur, & in hoc loco positæ animæ erant in certa spe cęlestis gloriæ, sed carebant visione diuina.

4 Aliqui † voluerunt synū Abrahę esse omnem locum, quo animæ purgatæ requiescunt; qui est per se Paradisus cęlestis, nunc sed ante Christi Incarnationē, erat sub terra loco descripto, & carebat visione diuina.

Et licet hac carentia affliggerentur animæ illæ tamen tolerabant afflictionem, ex illa certa spe glorię ex aduentu futuri Messiæ, itaque talis locus, non tantum erat afflictionis; quàm firmissimæ spei, & ardentis charitatis.

5 Est igitur nunc † vt dictum est, Synus Abrahæ, Paradisus cœlestis, in quo diu. August. dixit adesse suum amicum Eulipium lib 9. Confess. in quo animæ iustæ, vident Deum facie. ad faciem, quæ visio est merces fidei, quam professus est Abraham, vtinam sim ego Antonius.

6 Nota hic, quòd synus † Abrahæ, in illis quadraginta diebus inter Christi Resurrectionem, & Ascensionem fuit in superficie terræ, vbi animæ beatæ videbāt Deum. Vide Sot. 4. dist 45. q. 10. art. 2.

7 Nota etiam hic, quòd † Christus descendens ad inferos, descendit ad Lymbum, & inde eduxit sanctos Patres, nec de lymbo puerorum, nec de Inferno damnatorū vllum liberauit. De purgatorio vero non nisi secundum diuinam Iustitiam purgatos, aut illos, qui meruerant liberari, dum vixerant per fidem, & deuotionē ad mortem Christi diu. Thom. 3. p. q 52. artic. 8. vel dic etiam quòd ex purgatorio fuerunt liberati virtute passionis Christi; Sotus loco citato, qui citat diu. August. 2. super Genes. & 33. & Damascenum.

Et hoc sensu intelligitur illud actuū secundo. Quem Deus suscitauit à mortuis solutis Inferni doloribus. Itaque secundum opinionē vt supra duo, ex receptaculis quatuor, fuerunt euacuata, sed hoc (dicit hic Sotus) est relinquendum prudentum, & piorum arbitrio, quousque non fuerit aliud ab Ecclesia diffinitum, cui standum est.

QVAE-

QVAESITVM XXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Suffragiorum quot sunt genera, & quæ?*

2 *Anima defuncti an donec hæres soluerit æs alienum detineatur in purgatorio.*

3 *Defunctus si non mandauit ablatum restitui, & malitiosè decessit si ab hærede restituatur an ei prosit.*

4 *Executores testamenti tenentur soluere debita etiam si credant animam defuncti esse in cælo, vel in inferno.*

An animæ defunctorum iuuentur tantum sacrificio Missæ, & orationibus, & eleemosynis?

1 DIc, vt infrà: quòd potissimum † tria sunt propriè genera suffragiorum, scilicet, sacrificium Missæ, eleemosyna, & oratio; nihilominus ieiunium, & alia opera pœnalia eiusmodi prosunt defunctis, sed inter suffragia omnium potissimum, & valentius est sacrificiũ Missæ, & quod præ alijs suo genere maximè defunctis prodest. Ergo suffragia prosunt defunctis.

2 Nota hic quod † anima defuncti nõ detinetur in purgatorio quousque hæres soluat æs alienum, dum testamento id mandauit hęredibus, si aliud purgandum non habet nam completa purgatione, statim euolabit ad cœlum, etiam si nunquam debitum soluatur; &
3 è contra si non mandauit † defunctus restitui malè ablatum, & hac malitia decessit damnabitur, etiam si postea per hæredes debitum soluatur; itaque nihil prodest defuncto post mortem, quãdo fiet restitutio, nisi existens in Cœlo videat diligentiam hæredis in satisfaciendo, & habeat hoc gaudium accidentale.

4 Sed hæredes, & executores † testamenti tenentur soluere debita etiam si credant animam defuncti esse in cęlo, vel in Purgatorio, vel in Inferno, alias occupant, & detinent aliena, vide Sotum in 4. sentent. dist. 45. art. 111.

QVAESITVM XXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Suffragia pro vno defuncto an prosint alijs vniuersis?*

2 *Defunctus si mandauit tot fieri suffragia sufficientia ad purgationem, & executor fuerit in mora quomodo ei prosint?*

3 *Suffragium pro multis oblatum quomodo prosit vni eorum, & num. 4.*

5 *Per vnum sacrificium Missæ,*

an

an tollatur tota pœna debita in purgatorio?

6 *Infernus quid sonet, & in quot orbes diuiditur? num. 7.*

7 *Damnati quo in orbe maneant, & quantus sit eius ambitus, & latitudo?*

8 *Purgatorij sphera quantus sit ambitus?*

9 *Lymbi sphera vbi, & quantus sit eius ambitus?*

10 *Synus Abraham vbi, & quanta eius circumferentia?*

11 *Hæc loca quando creata, & quando ignis Inferni?*

12 *An sint aliqua purgatoria particularia?*

13 *An sint duo Inferna, vnũ vniuersale, alterum particulare?*

An suffragia prosint plus ei pro quo fiunt quam alijs, & si plus quàm si fieret pro pluribus?

1 Dic, vt infra, quod aliqui tenuerunt, quod suffragia † facta pro vno defuncto tam prodesse illi, quam alijs vniuersis; imò quòd potest plus alijs prodesse, si maiori fuerint charitate prædi ti, & dant exemplum de face accensa in aula Regis; aliqui verò dicũt magis prodesse illi, pro quo fiunt, quam reliquis; tu dic quod suffragium oblatum pro singulari defuncto, plus illi prodest, quàm alijs, etiam si in charitate sint, licet alijs etiã prodest quibuscũq; in charitate existentibus; imò sæpè in ratione satisfactionis prodest illi soli. Sotus loco citato.

2 Sed nota hic: quòd † si defunctus mandauit tot sacrificia, & suffragia fieri, quæ sufficerent ad persoluendam totam pœnam purgatoriam, & executor est in mora, quantum ad opus operantis, nempè iubentis opus fieri, suffragia illa quæ credit bona fide executioni demandanda, consequitur valorem ex opere operantis, scilicet iubentis fieri, siuè fiant siuè non; itaque habebit in purgatorio remissionem pœnarum secundum valorem operis operantis, secus de opere operato; nam si mandauit decies in die celebrari, & non celebretur; valorem sacrificij, & valorem deuotionis celebrantis non consequetur, nisi adimpleatur eius legatum.

3 Nota etiam quod † suffragium oblatum pro multis non prodest eis, vt prodesset si pro vno offerretur, sed quia hæc in Lucerna, seù Cathechesi nostra Parochorum in tractatu de Missa; & in tractatu de Indulgentijs, fusius prosequimur; molestum esset hic repetere: vide Sotum loco citato.

4 Nota etiam, † quòd Missæ sacrificium oblatum per pluribus, non tantum pro singulis satisfacit quantum si pro singulis offer-

retur, Sotus loc. citat. vbi etiam dicit, quod offerentes spiritualiter nempè astantes, qui omnes offerunt vno ordine, non quo plures sunt, eo minùs fructus percipit, quoniam singuli totũ sacrificium offerunt Sotus l.c. diu. Thom. q. 2. nu 4. quæstiuncula 3. in solutione 2. dicens, quod quamuis virtus Christi, quę hoc Sacramento continetur sit infinita, tamen, est determinatus effectus, ad quẽ illud Sacramentum determinatur; hinc
5 sequitur quod per † vnum Sacrificium Missæ, non tollitur tota pęna debita in purgatorio. Vide Sot. loc. cit. sicut nec per vnum sacrificium Missæ quis liberatur à tota pœna debita pro peccatis; hinc Ecclesia solet plures Missas offerre pro vno peccato. Sot. loc. citato in fine.

De his, & alijs circa Missam, videatur tractatus meus de Voce Canonicorum in Capitulo, officio in choro, & Missa in Ecclesia, Additur hic præter ea quæ, superius dicta sunt: vulgari sermone,
6 *che l'Inferno † suona luogo inferiore, & è in mezzo della terra, e per esser rotonda è centro della circonferenza del Cielo.*
7 *Hor questo centro † del Cielo si compartisce in quattro cerchi, ò circoli, che l'vno circonda l'altro per via di concauo.*

Il centro minore è l'Inferno, stanza de Dannati, la sua circonferenza è sette mila, ottocento, e settantacinque miglia, la sua larghezza, ò diametro è la terza parte, ò poco meno della circonferẽza: è lõtana da questo mondo doue siamo noi, tre mila, settecento, cinquant'otto miglia, & vn quarto.

Di sopra alla sfera dell'Inferno, vi
8 *è quella del Purgatorio, che † circuisce quindeci mila, settecento cinquanta miglia, la distanza da questo mondo al Purgatorio è di duemila miglia, e cinque cento, e mezzo.*
9 *Di sopra questa sfera è la sfera del Limbo, che circuisce miglia vintitre mila, seicento, vinticinque, & è lontana da questo mondo la metà della distanza del Purgatorio, come di sopra.*
10 *Sopra † questa si troua il seno di Abramo; la cui circonferenza viene insino alla superficie della terra, di grandezza quanto circonda la terra; cosi dicono li dotti scrittori, e cosi afferma il Rosaccio nel suo teatro del Mondo.*
11 Additur his quòd † hęc loca fuerunt à Deo creata à principio mundi, vt ait Augustinus lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ, sed ignis Inferni, vel in primo, vel sexto die; Riccardus tenet in sex-

to die; Lyranus super Isai. c.30. præparata est à Rege ab heri Thophet, exponit per Thophet pœnam Inferni, quod fuit præparata heri, idest, à principio temporis.

Non tamen dicerem, quod ignis Inferni fuerit creatus in primo instanti cum Angelis, & Cœlo Empireo, quia, vt ait Pelpartus in suo pomsrio, si ita diceretur fuisset Deus prius puniens, quàm Angeli peccassent, si tamen simul cum Angelis, vel postea creatus fuerit, dubium est apud Doctores.

12 Additur his, quod licet † sit Purgatorium commune, & generale, in loco descripto, tamen sunt aliqua purgatoria particularia in quibus animæ ex Dei permissione purgantur in hoc mundo.

Idem potest dici de Inferno, quòd
13 sunt † duo Inferna, vnum vniuersale in loco descripto, alterum particulare aliquarum animarũ, quæ puniuntur in diuersis locis vsque ad diem Iudicij, sed postea omnes ejicientur in Infernum inferiorem: diuus Gregorius lib.4. dialog. Et huius doctrinæ habentur diuersa exempla tàm Purgatorij particularis, quàm Inferni particularis. Affirmant de monte Etna, & de Vulcano, vbi aliquando exaudiuntur clamores & videtur ignis fumosus; V. de de Puteo Sancti Patricij vt infra quomodo aliqui purgabantur, in illo loco particulari diuina permissione.

QVAESITVM XXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Animæ quæ non meruerunt pœnas horribiles purgatorij vniuersalis mittuntur ad purgatoria particularia.*

2 *Animæ aliquandò purgantur in hoc mundo vbi deliquerunt.*

3 *Animæ quæ sunt in Inferno, vel Paradiso, an inde exire possint? & num.4.*

5 *Apparitio Beatorum quomodo differat ab apparitione damnatorum?*

6 *Animæ Beatæ, quam etiã damnatæ apparentes viuis, assumunt corpora, & vestes quibus viui vtebantur.*

7 *Animæ purgatorij an possint inde exire? & quare?*

8 *Quid de patribus qui in Lymbo existebant?*

9 *Animarum apparitiones an veræ sint, vel apparenter?*

10 *Angeli boni, vel mali apparent nomine animarum.*

Quare Deus non mittit omnes animas non purgatas in purgatorio generali, sed mittit ad particularia purgatoria, vt dictum est?

1 Dic, vt infra, quòd illæ animæ, quæ non meruerunt pœnas

hor-

horribiles purgatorij generalis, mittuntur ad hæc purgatoria, vt mitius purgentur.

Hinc diuus Gregorius affirmat in quarto suorum dialogorum fuisse reuelatum quibusdam animas aliquas esse in quadã vmbra ad purgandum,& cuidam sacerdoto animã cuiusdam mortui fuisse destinatã, in glacie ad purgandum se.

Dic insuper quod sunt aliquę animæ Deo gratæ, quas Deus vult citius transferri, ideò ad hæc purgatoria eas destinat; tanquam in hoc mundo, vt tanquam vicinę nobis possint hominum implorare adiutorium, & sic liberari; & euolare: ita legitur de anima collocata ad purgandum in quodam Palatio Ciuitatis Mantuæ.

2 Adde quòd animæ † purgantur in hoc mundo in aliquibus locis, quia in his peccata commiserunt; ita legitur de quadam anima,quę purgabatur in ciuitate Ticini in domo cuiusdam Doctoris, quæ terruit diu habitatores,& tandem celebrata pro ea pluries Missa, & data eleemosyna,liberata fuit, leguntur & alia exempla, quæ breuitatis causa ommittuntur.

Legitur apud diuum Antoninum in secunda parte summ. Hystorial. tit.11.cap.18 § 2.& alios, quòd conuersa per diuum Patritium ad fidem Christi Hyberniæ Insula, à Deo obtinuit, vt baculo designaret profundum, & obscurum puteum,in quem qui intrasset verè pęnitens,& verè credens,vnius noctis, & diei spatio ab omnibus peccatis purgaretur,&quod multi intrarunt,& obtinuerunt remissionem,de hoc puteo mentionem facit idem Antoninus in summa conscientię tit 14.§ 8.& diuo Bonauentura in 4.dist 20.ait diuum Patritium obtinuisse à Deo quendam eius amicum in quodam loco purgari.

Nota hic,præter ea,quæ supradicta sunt quòd ex sententia Riccardi in 4.dist.45.art 1. q.3. & Turrem crematam super decret.13. q.11. in verbo fatendum, quòd animæ

3 quæ sunt in Inferno, vel in Paradiso exire non possunt,nec obstat Troianum fuisse liberatum ab Inferno, quia respondetur quod ibi non erat diffinitiuè condemnata, lege vt supra,vbi etiam de Falconilla.

4 Dic secundo quod † anima separata aliquandò ex Dei dispensatione exeant & apparent viuentibus ad aliquem finem bonum, & de Beatis dicimus,quòd aliquando exire possunt,vt afflictis in hoc mundo succurrant,vt legitur de Sancto Felice Nolano, qui visibiliter apparens patriam liberauità Barbaris, Augustinus in libro de cura pro mortuis.

Dic tertio de damnatis, quòd vsque ad diem Iudicij,exeunt ex diuina permissione,& apparent viuis, ad eos docendum,vel potius terrendum;vt peccata fugiãt,ita cogente diuina Iustitia, contra eorum proprium velle vt affirmat Sãctus

Gregorius 4.dial. de Papa Benedicto; & de quadam turpi,& sordida vmbra,in vita sancti Martini.

5 Differt † tamen apparitio Beatorum ab apparitione damnatorum vt ait diuus Thomas in 4. sententiarum,quòd animæ Beatæ ex vi gloriæ,& gratiæ gratis datæ,possunt ad libitum exire,secus dic de damnatis,quæ exire non possunt; nisi ex Dei permissione.

6 Et nota,† quod animæ tàm Beatæ quàm damnatæ cùm exeunt & apparent, possunt assumere corpora,& habitum, seu vestem quam viui gestabant,vt de quodã præsbytero narrat diuus Bernardus,qui apparuit Episcopo Aurelianensi cum pluuiali plumbeo ad instar turris graui.

7 De animabus † in purgatorio; Dic quod aliquando permittitur eis exire,& viuis apparere ad implorandum eorum auxilium: ita de Paschasio qui apparuit Beato Germano narrat diuus Gregorius c.26 quarto dialog.

8 Dic idem † de Patribus, qui in Lymbo ex stebant, vt constat Matth.cap.15. aliquando tamen, imò sæpè. Apparent in corporibus assumptis in forma aliquarum animarum,imò aliquandò in forma Dei,vt habetur. Exodi cap.3. In forma eadem potest apparere Angelus malus, ex Inferno discedens, ex Dei permissione,ad decipiendum magos apparens in corpore fantastico,vt Sauli apparuit 1.Reg.cap.28.Se Samuelem faciens cum esset dœmon.

Nota tamen pulchrum, quod licet

9 fiant huiusmodi † apparitiones, vel vt Beatæ animæ,vel vt damnatæ,non tamen verè sunt,eædẽ, sed quæ præsentialiter apparent, nam aliquandò huiusmodi apparitiones,vel fiunt dormientibus, vel vigilantibus etiam, sed opera bonorum spirituum, ad instructionem eorum,quibus apparent: vel opera dœmonum,ad decipiẽdum, vt aliquandò accidit dormientibus, cum apparet aliqua persona,multa eis dicens,vel prędicens de longinquis regionibus, vel de futuris.

Dic idem de animabus existentibus in Lymbo, quòd possunt inde exire, vt de alijs animabus dictum est damnatis de his non extãt exempla apud sacrã scripturã, nec legitur quicquam apud prophanos Authores.

10 Conclude ergo quòd † Angeli boni, vel mali possunt apparere nomine animarum, sed cognoscitur an sit boni, vel mali apparitio ex hoc,quòd in Angelo bono post timorem succedit letitia, contra in apparitione Angeli mali; quia remanet timor ijs,quibus facta est apparitio diu.Thom.1. par.q.20. num.3.

QVAESITVM XXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Quanto tempore animæ erunt in purgatorio purgandæ? & num. 2. & 3.*

Quanto

Quanto ſpatio temporis erunt animæ purgandæ in Purgatorio?

1 ALiqui dicunt, quòd erunt, diù,† quia pro quolibet peccato, debent purgari per ſeptem annos,& eſſet pœna ſatis longa; hæc ſententia non placet doct s.

2 Sotus vix † credit, quamlibet animam, permanere in purgatorio ad viginti annos,imò forſan pauciores, 4.ſent. diſt.19. art.3. q.2. cui adhæreret candelabrum aureum,etiam ſi nullæ eſſent Indulgentiæ.

Hæc ſententia non placet Illuſtriſſimo Bellarminio,in ſuis controuerſijs,reſpondet rationibus Soti, ſatis doctè, & affert exemplum venerab.lib.5.ſex.diſt. cap.13. de quodã cui fuerunt oſtenſæ pœnę purgatorij.

3 Dic igitur, † quòd prima opinio eſt nimis rigida; ſecunda ſatis larga; adde tertiam,& eſt, quòd ſolus Deus,ſcit, & cui ille voluerit reuelare, quanto tempore, erunt in Purgatorio animæ;erunt igitur ibi,quoſq; purgabuntur à pœnis, vel quouſque ſuffragijs, viuorum exibunt.

Et dum ſunt ibi, priuantur diuina viſione,quod eſt eis maxima pœna. & altera pœna damni.

Nota,quòd, qui morietur verſus finem mundi, patietur in illo paruo ſpatio quantum paſſus eſſet, v.g. in mille ann. ſi ita,eius culpę meruiſſent,idq; intellige, intenſiuè,non extenſiuè Ricc.4.ſent. diſtinct.20.art.2.q.1.& Reſp. ad 2. Adde hic,quòd legitur 2.p. cron. Fra.Min.quòd de ann.1343.præcibus diui Franciſci fuit liberatus ex Inferno Petrus Epiſcopus Rodigin. in Regno Caſtigliæ, id ĩn intellige ſecundum ſentẽtiam ſacrorum Doctorum.

QVAESITVM XXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Animæ in purgatorio exiſtentes in hoc mundo dæmones ſuperauerant.*

2 *Angeli boni an affligant animas in Purgatorio.*

3 *Animæ in purgatorio à quo affliguntur?*

4 *Animæ exiſtentes in purgatorio ſunt ſecuræ de eorum ſalute.*

5 *In offertorio pro animabus defunctorum pro quibus orat Eccleſia. & num.6.*

An dœmones in purgatorio affligant animas?

1 DIu. Bonauent. in 4. dicit, hoc eſſe inconueniens(quia animę illæ in hoc mundo dœmones ſuperauerunt) vt ibi à victis patiantur; & quia animæ ibi purgantur ad earum vtilitatem, non eſt veriſimile,dęmones velle ani-

marum

marum vtilitatem quærere.

2 Nec † Angeli boni affligant animas in Purgatorio, secundum eundẽ Bonamuenturam, qui sc ũt purgatas illas in Cœlum recipiendas esse, & illis associari, participes eiusdem gloriæ.

3 Dic ergo † cum Bonauentura, & concordat diuus Thomas animas in Purgatorio affligi, nullo ministro, nec dœmonum, nec Angelorum, sed à pœna illa quam patiũtur, affligi, vt instrumento diuinæ iustitiæ.

Et licet ibi sit maxima pœna, aliquãdò tamen Angeli lucis à Deo missi eas visitant, & consolantur, ita Antoninus.

4 Nota, hic † quòd (vt supra etiam dictum est) animæ quæ sunt in Purgatorio, sunt securæ de eorũ statu, scilicet, quod non possunt damnari; & offertorij in Missa defunctorum antiphona est intelligenda, vt infra.

5 Domine † Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni, &c. per Infernum intellige hic Purgatorium: tunc dicunt aliqui, quod Ecclesia orat pro agonizantibus, qui habentur pro mortuis.

Hæc sententia non placet Illustrissimo Bellarminio, ait enim, quod fit mentio de animabus defunctorum & ad corroborandum adducit, quòd Ecclesia in anniuersarijs defunctorum, præcatur pro animabus eorum, qui iam diù mortui sunt.

6 Ergo sententia ipsius † est hæc, quod Ecclesia in his præcibus intendit orare pro animabus purgatorij, & dicit nihilominus quod Ecclesia vtitur hoc modo præcandi, quasi quod animæ tunc essent egressuræ ex eorum corporibus cum periculo damnationis, ait enim, quod per hæc verba repræsentatur diem mortis, vt facit etiam Ecclesia in festis Sanctorũ, aut in Festis Domini nostri Iesu Christi, in quibus represẽtat ea, ac si tunc verè essent; vt de Incarnatione dici potest & alijs, quomodo rogat vt fructus illorum mysteriorum nobis applicetur, hinc dicit Ecclesia singulis annis. Rorate cœli desuper, &c. & tamen iam diu Incarnatio facta fuit.

QVAESITVM XXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Animæ existentes in purgatorio sunt confirmatæ in charitate, ideò possunt orare pro nobis, vel pro se ipsis.*

2 *Exempla huius die, & numero 3.*

4 *Animæ existentes in purgatorio semper à Deo mentaliter opem petunt, & ad quid.*

5 *Et an semper à Deo exaudiantur?*

6 *Alia opinio Bellarminij, & Riccardi super principali quæsito.*

An animæ, quæ sunt in purgatorio possunt orare pro nobis, ac pro ipsismet, & exaudiantur?

DIc secundum Riccardum de Media uilla 4. dist. 45. q. 2.
1 & 3 quòd sic, & ratio est † quia sunt confirmatæ in charitate; nec valet dicere, quod earum oratio non pr. sit, quia sunt in pœnis, vel quia sunt extra statum merendi, & quia priuantur visione diuina; nam hæ rationes non obstant, quin orent pro nobis.
2 Et habemus † exempla, quod Hieremias in Lymbo 2. Machab c. vlt. existens, vel in Synu Abrahæ, pro populo suo orauit, & exauditus est, & tamen ille erat extra statum merendi.
3 Huius † doctrinæ exemplum habetur apud D. Gregorium quod Pascasius post mortem operatus est quodam miraculum, & vt S. Germano reuelatum fuit, erat in purgatorio; an verò, illæ animæ orando pro nobis, aliquid sibi lucrentur, dic quòd sic. ex sententia eiusdem Riccardi de Mediauilla, nam illæ orationes redundant in alleuiationem pœnarum, in quibus illæ reperiũtur, non merendo, quia sunt extra statũ merendi, propriè loquẽdo, sed eisdẽ prosunt illæ orationes, quia dum pro nobis orant, nos meliores efficimur, & tales effecti maiori postea efficacia possumus pro eis deprecari, & illis suffragari pro earum liberatione à pœnis.

Idem Riccardus etiã affirmat, quòd illæ animæ possunt pro ipsismet
4 orare, qui † mentaliter semper à Deo opera petunt, & Indulgentiã & hoc non ad augmentum gratiæ, vel gloriæ, sed per mitigationem terribilium pœnarũ illaq; tamen petitio cum Dei voluntate semper conformatur.
5 Sed non est dicendum, † secundũ Riccardũ, quòd illæ animæ semper à Deo exaudiuntur, quia idẽ dici potest de orationibus à nobis factis, quæ nequeunt comprehendere Dei placitum; ac voluntatẽ, vt faciũt animæ Beatæ, sed tamẽ orationes illarum omnibus non ponentibus obicem prosunt. Hæc ex sententia Riccardi, & Illustrissimi Bellarminij in controuers. de Purgatorio.

Et liceat videatur pia, & deuota opinio Bellarminij, & Riccardi, est tamen securior, & communior, sententia diu. Tho. 4. sent. dist. 15. q 4. & 2. 2. art. 5. q. 83. quod animæ
6 scili. purgatorij, † non valent orare, quia sunt in maiori afflictione quam non sumus nos, in hoc mundo, præterea sunt extra statum merendi, ita vt potius indigeant aliorum suffragijs, quàm possint ipsæ pro alijs orare; Præterea animæ purgatorij nesciunt nostras necessitates & tribulatio-

nes

nes quia non vident in Verbo, vt Beatæ animæ vident in Cœlo. Et quò ad exẽplum de Pascasio, (ait doctor meus Angelicus) quod in miraculis principaliter attenditur deuotio orantis, & fides ipsius, & quia Pascasius, dum viuebat, fuit probatæ vitæ & ab omni scelere purus, & sic creditur, quòd erat in cœlo, & sic obtinuit pro orante in Cœlo, & non in Purgatorio.

QVAESITVM XXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Animæ quæ sunt in purgatorio quomodo sciant quæ fiant à viuis in mundo?*

2 *Exemplum pro illa opinione quod animæ purgatorij orant pro viuis, & num. 3.*

4 *Animæ purgatorij quibus possint liberari?*

5 *Animæ damnatæ nullo modo possunt subleuari, aut liberari.*

An animæ quæ sunt, in purgatorio sciant quæ fiunt in hoc mundo bona pro eis à viuis?

1 DIc, præter ea quæ supra dicta sunt, quòd † animæ purgatorij, sciunt quæ fiunt pro eis à viuis, & hoc (secundum Augustinum) vel ex relatione Angeli Custodis, vel alterius, aut per diuinam dispensationem sciunt, quia sentiunt pœnis se leuari. Hinc sequitur, quòd illæ cognoscentes bona, quæ pro ipsis fiunt à viuis, orant Deum (secundum illam primam sententiam) pro viuis pro illorum augumento spiritualium gratiarum, ac bonorum temporalium, & aliquando obtinent,
2 vt legitur † de quodam, qui eleemosynas pro mortuis erogabat, & cum fuisset ab inimicis captus ad occidendum fuit à mortuis defensus, in eo cimiterio, vbi pertrãsiens, etiam De profundis dicebat.
3 Nec desunt † alia exempla, huc pertinentia: vnum addam, quod quidã, qui benefaciebat pro mortuis, cùm de nocte iter ageret pro loca periculosa, duo lumina præibant, & duo sequebantur ipsum vsque ad domum, & tunc vocem audiuit; pax tecũ, nos nõ vides, & tamen sumus mortui, per quibus sæpè oras, & te ab inimicis proteximus.
4 Nota hic † quod animę purgatorij possunt liberari, sacrificio Missæ, orationibus Sanctorum, eleemosynis charorum, & ieiunio. Adde Indulgentijs &c. diu. Augustinus in serm. quem facit in cathedra S. Petri.
Sed nota quòd animæ damnatæ nõ possunt vllo modo subleuari, nec liberari, secundum sent diu. Tho. & Ricc. in 4. dist. 45 sed quod legitur de Traiano, Falconilla, & Petro Episcopo Rodog. in Regno Castgliæ, intellige vt dictum est. ex sentẽtia sacrorum Scriptorum.

QVAE-

DE LYMBO Puerorum.

QVAESITVM IL.

SVMMARIVM.

1 *Animæ puerorum in Lymbo quam pœnam patiuntur?*
2 *Pœna carentiæ visionis Dei in pueris qualis sit in Lymbo?*

An animæ, quæ descendunt in receptaculum Lymbi puerorum patiantur aliquam pœnam?

DIc, quòd D. Fulgentius in libro de fide, cap. 17. dicit,
1 † quòd puniuntur pœna ignis æterni, idem videtur sentire diu. Aug. de verbis Domini, sermone 14. sed Gregorius de Valentia interpretatur horum sententias, per ignem intelligendo pœnam damni, ita Thom. 2. disp. 6. q. 17 punt 4. quod confirmat dicto Augustini lib. 3. cap. 23. de libero arbitrio, & in q. 9. in Io. suen dicit, quod per ignem potest intelligi quælibet pœna. Communior tamen sententia est, quòd solummodò patiantur pœnam damni, quæ est carentia diuinæ visionis, ità Mag. sentent. in 2. dist. 33. diu. Thom. & alij in eodem loco, eiusdem sententiæ est Nazianzenus in ora tione in S. Lauacrum diu. Ambrosius in 1
lib. de Abraham cap. vlt. & inter Canonistas Innoc. in cap. maiores de Baptismo, & eius effectu.
2 Quæ pœna † carentię diuinæ visionis secundum sententiã Gregorij de Valentia l. citat. inducit dolorem, & afflictionem, sed mitem, quia nõ propria culpa amiserunt visionem beatificam, idem videtur sentire Mag. sentẽt. in 2. dist. 33. & diu. August. contra Iulianum lib. 6. c. 4. Sed D. Thom. & alij in eadem distinctione dicunt, quòd nullum sentiunt dolorem, nisi pęnam damni; his existentibus in Lymbo non prosunt suffragia viuorum, & illuc verisimiliter creditur duci à dœmonibus tamquam à ministris diuinæ Iustitiæ circa harum animarum statum infra habebuntur aliquorum doctorum opiniones, quid de eis erit post iudicium.

DE INFERNO.

QVAESITVM L.

SVMMARIVM.

1 *Infernus est in medio cordis terræ.*
2 *Centrum terræ quatenus distat à circumferentia terræ.*
3 *Quatuor elementa in Inferno sunt in summo eorum esse.*
4 *Infernus quare ita dicatur?*
5 *Quæ sunt pœnæ principaliores in Inferno?*

In quo loco sit Infernus?

DIc vt supra dictum est, nam ipsum vocabulum significat, esse in inferiori parte terræ;
1 Sed dicas † concludẽtius secundum Riccardum, & quasi omnes doctores, quòd est in medio cor dis terrę, qui locus est remotissi-
2 mus à Cœlo, nam centrũ † summè à circumferentia distat, & secundum Astronomos, & sphęras mensuratas distat à superficie terræ per duo millia ducenta, & quinquaginta milliaria.
Et secundum affirmant sacr. doct.
3 sunt ibi † quatuor elementa in summo eorum esse; scilicet ignis in summo calore inclusus in clybano, aqua in summo frigore, aer, & terra in summo fetore, & sunt ibi mala, quæ nemo dicere, vel cogitare potest.
4 Et vocatur † Infernus, locus ille, quia illuc animæ inferuntur ad æternas pœnas, eorum, qui in peccato moriuntur; & post diẽ Iudicij, etiam corpora; vel dicitur Infernus, quia est locus in partibus inferioribus terræ, dicitur Auernus, quasi sine Vere, quia ibi est maxima intemperies, & faciliter illuc est lapsus, hinc Poeta:

Facilis descensus Auerni.

Dicitur etiam Acheron, idest sine gaudio, quia, à, est sine, & charon, gaudium significat Græcè: habet etiam multa alia nomina, apud Scriptores sacros loci illius

infe-

infelicissimus, infelicitates, & miserias significantia.

Et licèt in Inferno sint infinitæ, & innumerabiles pœnæ; tamen
5 decem † sunt principaliores: ſcilicet pœna ignis ardentissimi, frigoris acutissimi, clamor maximus, fœtor horribilis; visio dæmonum terribilis, fames intolerabilis, sitis inextinguibilis, verecundia, & confusio maxima, in tactu, maxima afflictio: & nota, quòd si animæ sine corpore patiuntur nunc vsque ad diem Iu-
6 dicij, corpora † tamen interim patiuntur incenerationem. Gol. in 4. dist. 43. q. 1. art. 2.
7 Sed ille ignis † differt à nostro multis modis, primo quia hic ignis, habet se tanquam si esset pierus, respectu illius ignis gehennalis, differt etiam induratione, quia ille nunquam extinguetur, hinc Isaiæ vltimo ignis eorum non extinguetur, etiam si totum mare Oceanum, super effunderetur; differt etiam in luce, nam ille ignis caret luce, sed tamen videbunt se damnati ad inuicem, vt magis torqueantur; hinc diu. Gregorius, ignis damnatis non lucet ad consolationem, sed ad confusionem, vt videant secum, quos inordinatè dilexerunt, vel vt, videant ad miseriæ augumentum, vt ait Isiodorus.

Secunda principalis pœna est frigoris acutissimi, vnde Matth. 18. ibi erit flatus, & stridor dentium & ibi glosa. stridor dentiũ ex frigore nimio esse solet, hinc habetur Iob 14. ab aquis niuium ad
8 frigus nimium; non † quòd animæ damnatæ transibunt de igne ad niues. sed quòd in eodem carcere detentæ, quantum ad sensum, modo calorem nimium, modo frigus excessiuum patientur, ita sentit Albertus in libro de Sacramẽtis sicut febricitãs nunc calet, nunc friget, vel frigore tremit eodem tempore.

Sed quanto tempore in frigoris pœna, vel in caloris ardore permanebunt, & quam prius patientur harum pœnarum, Deus Iudex scit & ille, cui voluerit reuelare.
9 Nota hic † quod damnati mittentur in ignem æternum quia ignis est magis actiuus quam alia elementa, licèt frigor ille sit maximus, & maximè superans frigus huius mundi: neque aqua illa Inferni potest calefieri ab igne illo ardentissimo, sic iubente diuina voluntate, ad punitionem malorum, neque aqua illa suffocabit: imò damnati viuent in ea sicut pisces.

Tertia pœna est magnus clamor ob dolores nunquam intermittendos, vnde Beatus Bernardus in suis meditationibus, in inferno inquit nil aliud audietur, nisi
10 fletus, & planctus & vlulatus, mærores, atque stridores dentium.
11 Quarta † pœna est fumus densissimus absque euaporatione, hinc capitis perturbatio, corpo-

rum denigratio, sensuum occupatio,& loci obscuratio.

12 Quinta pœna † est odor fœtidus, seu fœtor horribilis, congregatus ibi ex cunctis mundi fecibus ex sulphureis ignibus, & ex damnatis corporibus, & ex horrendis dęmonibus.

13 Sexta pęna est † ex visione terribili dęmonum, qui pauorem grandem incutient, peccata improperabunt, eos percutient iugiter, & fortiter comprimunt ad modum a cerui lapidum. Hinc Ricc. corpora damnatorũ erunt ibi mutuò valdè compressa, vt aliquid molle sub maximo lapide.

14 Septima pęna † est fames corporalis crudeliter affligens, & macerans, quia appetent, nec habere poterunt, & recordabuntur præteritæ refectionis, & delitiarum & patientur perpetuam famem.

15 Octaua † est sitis inextinguibilis, quæ non extinguetur ab aqua ibi frigidissima, sed turbida, & sic nunquam cessabit in eis cupido bibendi cum dolore dentium maximo, intellige id cũ ibi fuerint, etiam & corpora interim patiẽtur animæ similes affectiones quantum pati possunt spiritus sic iubente diuina Iustitia.

16 Nota hic quod † in diuite Epulone, & Lazaro paupere, metaphoricè sumitur lingua diuitis, & digitus pauperis, nam per digitum intelligitur virtus eius auxiliaris, & per linguam diuitis virtus expressiua conceptuum mentis. Vide Mag. sent. Qui dicit de digito Lazari, & de lingua diuitis, à pijs vix, à contentiosis nunquam intelligitur.

17 Nona pœna † est confusio, & verecundia maxima, nam tractabuntur vilissimè, locabuntur turpissimè in seruitute impia cum iniquorum copia, & consortio.

18 Decima pœna † est totius corporis afflictio, nam corpora illorum erunt valdè passiua; sed tamen incorruptibilia ex tactu mẽbrorum valdè ponderantium, ex tactu locorum ipsos continentium, ex tactu corporum aliorum damnatorum, ex tactu dœmonum cum eis permanentium, nam corpora eorum erunt ponderosa, & quodlibet membrum põderosissimum, & hę sunt principaliores pœnæ pertinentes ad corpora.

19 Pœnæ † autem pertinentes ad animas, sunt carentia gloriæ, vermis conscientiæ, rancor iracundiæ, tumor superbiæ, liuor inuidiæ, timor pęnæ, certitudo damnationis, defectus consolationis, desperatio, & nulla spes redemptionis. Hæc ex tractatu Petri Reginaldi in suo speculo finalis retributionis à quibus pœnis, & alijs innumeris quæ ibi sunt liberet nos Dominus. Amen.

20 Nota quod dicunt † sancti, & Pij Scriptores de igne infernali, Isa. 34. quis ex vobis poterit habita-

re

re cum igne deuorante, & iterū, vlt.; ignis eorum non extinguetur, item Deuter.32. Ignis succensus est ex furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima; idest, quamdiu durabit Infernus, & Paradisus, idest in perpetuum.

21 Nota etiam hic quod ignis † Inferni licet, vt dicunt Sancti de eo scribentes non luceat, lucebit tamen, vt damnati videant dœmones turpes, & horribiles, & amicos eorum in hoc mundo, & inimicos ad eorum confusionem, qui ignis nō consumit, sed comburet; Hinc Franciscus de Mairon, dicit quod sicut corpora animabus dolorem faciunt per organa, quę tamen non moriuntur, ita ignis infernalis facit in animas, & exemplificat de Salamandra, quæ in igne viuit, & patitur, de montibus Siciliæ, qui ab igne non consumuntur, de carne pauonis quæ per annum conseruatur mortua, de palea quæ pira maturat, & niuem conseruat. Hinc in Apocalyps.9. quærunt homines mortem, & non inuenient, & cap.21. timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicarijs, & idolatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne.

QVAESITVM LI.

SVMMARIVM.

1 *Animæ damnatæ qualiter se mutuò cognoscant in Inferno?*

2 *Damnati an habeat scientiam quam habebāt in hoc mundo?*

3 *Animæ qualiter cognoscant.*

An animæ damnatæ cognoscant se mutuò in Inferno?

1 Dic quòd sic, sed diuerso modo, quàm cognoscimus nos in hoc mundo, scilicet modo spirituali. Scot.4.dist.43.art.22. dūmodò non impediantur à diuina virtute; sed intellige in generali, non tamen in particulari, nisi Deus aliter disposuerit.

2 Adde quòd damnati † habent eā scientiam, quam habebāt in hoc mundo; ita S.Bonauent. & Ricc. in 4.dist.50.

Et quamuis non habeant potentias sēsitiuas, habēt tamen rationales & intellectiuas, in quibus fundatur scientia, imò ea aliquando vtuntur in memorando bonum quod facere ommiserunt, & malum quod commiserunt.

3 Adde † quod animæ cognoscunt non ex speciebus rerum creatarum, vt homines, non modo Angelico, sed speciebus infusis vel, vt melius dicas speciebus rerum infusarum à Deo in hac, vel in

alia

alia anima, & hoc modo per his species possunt cognoscere, & quæ nunquam viderunt Ricard. dist. vlt. art. 3. q. 3.

QVAESITVM LII.

SVMMARIVM.

1 *Animæ vna cum corporibus, an hodie reperiantur in Inferno?*

2 *Animæ aliquæ in Cœlo sunt cũ corporibus proprijs?*

3 *Diuina clementia est propensior ad præmiandum quam ad puniendum.*

An nunc reperiantur in Inferno animæ non corporibus?

1 Dic quod aliqui dicunt quod sic, & adducunt Epulonem cum lingua, vel exemplum Chore, Datan, & Abiron Num. 16. & alia; sed dic melius, quòd non ante Iudicium, & ratio est diui Pauli statum est omnibus semel mori.
Et ad exẽplum Epulonis dic quod locutio est methaforica, & ad aliud exemplum dic. quod Chore, & socij mortui sunt, & animę eorum iuerunt in Infernum, & corpora remanserunt sepultura.
Illud tamen nõ est prætereundum
2 quod in † Cœlo sunt cum corporibus proprijs, (vt affirmat sanctus Bernardinus) Beatissima Virgo; S. Iosephus, & S. Ioannes Euangelista, & multis alijs; Et hoc arguitur ex hoc, quod diui-
3 na † clementia est propensior ad præmiandum, quàm ad puniendum, cum enim punit opus alienum à se facit, vt ait Lyran. Isa. cap. 28. hinc dic quòd in præmiando, facit vltra condignum, quando verò punit, citrà condignum.

QVAESITVM LIII.

SVMMARIVM.

1 *Animæ damnatæ patiuntur pœnas diuersas secundum grauitatem delicti.*

2 *Maior damnatorum pœna est recordatio quod sunt priuati visione Dei in æternum.*

An damnati patiantur omnes vnam & eandem pœnam, aut quisque separatam, & particularem?

1 Diuus Augustinus respondet, quod † secundum grauitatem delicti est mensura pœnæ, omnis tamen est æterna. Diuus Gregorius, dicit, quòd sicut Sol omnes tangit, non tamen omnes æqualiter calefacit, sed secundũ eorum qualitatem, sic non æqualiter omnes punientur, & patientur.

2 Et nota quòd † maior eorum hæc est est, recordatio quod sunt priuati visione Dei in æternum. Hinc diuus Augustinus dicit quòd si daretur optio damnatis, vel exire de illis pœnis, & non videre Deum, vel videre Deum in illis pęnis; eligerent, videre Deum, & remanere in pœnis, quæ sunt atrociores pœnis passionis Christi, diu. Tho. par. 3. q. 46.

QVAESITVM LIV.

SVMMARIVM.

1 *Damnati in vita fuerunt semper mortui in peccatis debent in morte semper viuere in pœnis.*

2 *Mors damnatorũ dicitur mors viuax.*

3 *Damnati an possunt desiderare non esse, vt fugiant pœnas?*

4 *Ignis cum sit corporalis quomodo aget in animas.*

An esset melius damnandos annihilari potius, quàm in æternum eos sic puniri?

Dic quod hoc non esset consonum diuinę Iustitię, nam
1 sunt † damnati dum viuebat eorum vita semper fuit mortua in peccatis, sic post mortem, debẽt semper viuere in pęnis.
2 Hanc mortem † diu. Hieronym. vocat mortem viuacem. Augustinus dicebat quid timebat mortem viuacem, quod timebat vermem mordacem, quod timebat vitam morientem, &c
3 Et nota quod absolutè † loquendo, damnati non possunt desiderare non esse vt fugiant pęnas, nam nemo potest desiderare nõ esse ad fugiendum aliquod bonum: modo pęna in suo genere est bonum: quia punit culpam quod est bonum: attamen de facto desiderant ob atrocitatem pęnarum, non fuisse in mundo, imò quotidie maledicunt Deo qui eos creauit, patres qui genuerunt, & matres quæ lac dederunt.

Concluditur ergo quod plurimæ sunt illæ pęnæ, & maximæ, & ignis ille æternus, nec tamen cõ-
4 sumãtur animæ, & † ignis cum sit corporalis, vt instrumentum diuinæ Iustitiæ aget in animas.

QVAESITVM LV.

SVMMARIVM.

1 *Deus respicit non actus hominis; sed cor.*

2 *Pacisci an liceat cum moribundis, vt post mortem nos certiorarent de eorum statum?*

Si homo peccat, & postea cessat deberet etiam pęna aliquando cessare, & habere finem sicut habet culpa peccatdris?

PEtru s Diaconus hoc dubium quæ fiuit à diuo Gregorio, qui quarto dialogo, ità respondit,
1 quod Deus Iudex iustus † respicit non actus hominis, sed cor, quod est positum semper in peccando, si semper viuerent hinc semper punientur, nam apud Deum voluntas, pro facto reputatur.
2 Nota hìc, † quod non liceret viuis pacisci cum moribundis, vt post mortem eos certiorarent, de eorum statu, nam peccarent peccato infidelitatis, & mortaliter, quia videretur non credere sacris Scripturis, diu. Tho quolibet 4. q. 9. Sed si quis quereret ad bonum finem, & non ob curiositatem crederem non peccare.

QVAESITVM LVI.

SVMMARIVM.

1 *Deus creauit damnandos, & saluandos, & quare?*
2 *Deus quare permittit dãnandos in mundo?*
3 *Bonis prodest persecutio malorum.*

An esset melius damnandos non fuisse creatos?

DIc, quod sapientissimus
1 † Deus creauit damnandos, & saluandos, nam si solum saluãdos creasset sequeretur hos necessariò saluari, & non mediante Dei gratia, & cooperante libero nostro arbitrio, & secundum Paulum ad Philipp. Cor. 2. Salus nostra tribuitur gratiæ, & non necessitati.
2 Adde quod † Deus permittit damnandos in mundo, vt ex malo bonum colligat, nam mali sunt purgatio bonorum; hinc
3 Augustinus dixit quod † bonis prodest persecutio malorum, vel pro emendatione, vel pro exercitio, vel pro augumento gloriæ.
Adde quod si solum creasset saluandos, solum misericordia luceret, & non iustitia; elucet ergo iustitia in damnatis.

QVAESITVM LVII.

SVMMARIVM.

1 *Damnati quare cupiant omnes alios damnari?*
2 *Damnatis quare est clarum aliquos sibi dilectos non damnari.*

An damnati cupiant, modo eorum omnes damnari?

RIccardus in 4.dist 50.art 4. quęst. 1. respondet, quod
1 sic, † & hoc propter odium, & inuidiam, qua macerantur fęlicitatis Beatorum: & quãuis quò maior numerus animarũ descendit ad pęnas Inferni, eò maiori vehementia, pęna illis augetur; tamen omnes cuperent damnari, propter inuidiam, vt haberent socios pęnarum iuxtà illud; Solatium est miseris socios habere pęnarum.
Sed quia illæ infęlices animæ sciũt, (modo quo dictum est) non omnes damnari, sed aliquas sal-
2 uandas esse, † ideò est eis charum eos non damnari, quos amore, vel propensione dilectionis prosequuntur; quia minus his inuident, quàm cæteris; Ideò Epulo rogauit Patrem Abraham illo modo in Euangelio.

QVAESITVM LVIII.

SVMMARIVM.

1 *Damnati habent aliquam lætitiam fantasticam ex adimplemento eorum malæ voluntatis.*
2 *Damnati maximo odio diuinam Iustitiam prosequuntur.*

An damnati habeant gaudium videre in pęnis, eos, quos in hoc mundo habuerunt inimicos?

DIc, quod secundum diuum Thomam quolibeto tertio,
1 q. 10. art. 2. licet habeant, † aliquã lætitiam fantasticam, quia considerant, eorum malignam voluntatem adimpleri, tamen de duobus maximè dolent, primò quia vident satisfieri Iustitiæ di-
2 uinæ, † quã maximo odio prosequuntur. Secundo quia verme conscientiæ corroduntur ob eorum illam falsam lætitiam, & eò magis, quando ipsi fuerunt causa damnationis illorum.

QVAESITVM LIX.

SVMMARIVM.

1 *Damnatorum animæ an videant gloriam Beatorum, & quomodo?*
2 *Damnatorum animæ an possint habere delectationem ex bonis, quæ fecerunt in vita.*
3 *Beati an gaudeant pænis damnatorum?*

An animæ damnatæ videbunt gloriam Beatorum?

1 DIc, quòd sic † vsque ad diẽ Iudicij, & hoc in confuso, & in vniuersali, idest videbunt,

quæ sunt in excelsa gloria, sed non videbunt quę, vel qualis est illa gloria, & hæc eorum visio, est potius argumentatio, & opinio, quã vera visio, vt solent pauperes extra conuiuium, qui ab odore, & dulcibus canticis, & Regio apparatu & dignis conuiuijs, conuiuia dulcia argumẽtare, & delicias considerare, sed nesciunt, quid, vel qua'e sit conuiuium: sed hac visione confusa, vel potius imaginatione, maximè tristantur.

Attamen post Iudicium, & hac visione priuabuntur, & ad proprias pœnas conuertentur, & aliud nec cogitare, valebant; nedum de gloria Beatorum considerare. Mag. sent. 4. diu. Tho. dist. 50. & est communis opinio.

2 Hic nota illæ † damnatę animę nullam possunt habere delectationem, nec de bonis, quæ fecerunt in vita, aut de delitijs, quibus forsan vacarunt liceat remaneat in pœnam, desiderium earũ affectionum, quibus in vita delectatę sunt; Imò ait Riccardus quod licet cognoscãt huiusmodi, tamen tristabuntur, vt fecit etiam ille Epulo, qui Nabal vocabatur de quo habetur 1. Reg. cap. 25. licet alij dicunt, quod vocabatur Ninus, ità Pepinus in in suo Quadragesf. D. Anton. tenet fuisse ex consanguineis Zachariæ Prophetæ, Io. Bapt. suæ Hist p. 1 tit. 1. p. 5. §. 16. Est igitur deflecta pœna damnatorum nec Beati de eis vlla habebant compassionem, quia illi spiritus beati, sunt concordes cum diuina voluntate, alias essent rebelles, quòd non est dicendum.

3 Non tamen Beati † gaudebunt pœnis, in quantum sunt malæ, quia nemo debet gaudere malo alterius, sed gaudent illis quia cum illis est coniuncta diuina Iustitia; Hinc dicitur lætabitur Iustus quando viderit vindictã, & tali modo lætabuntur. Beati pœnis damnatorum, quia habet locum diuina Iustitia.

QVAESITVM LX.

SVMMARIVM.

1 *Pœnam grauiorem patiuntur animæ damnatorum quam dæmones, & quare?*

2 *Ante Iudicium dæmonum pars est in Inferno, pars in aere caliginoso, & obscuro, deinde omnes in Inferno.*

3 *Animæ quæ sunt in Lymbo quas pœnas patiuntur?*

4 *Existentes in Lymbo quam cognitionem habeant?*

5 *Pęna priuationis non est adeò vehemens in Lymbo sicut in Inferno?*

6 *Pęnæ Inferni quot, & quantæ*

7 Abyſ-

7 *Abyssus quid dicitur.*
8 *Ignis in Inferno qualis sit?*

Quis grauiores patietur pœnas in Inferno damnati, vel dœmones?

1 DIc,quòd † grauiorẽ patientur animę damnatæ quàm dęmones,& hoc ob hominis ingratitudinem;quia precium passionis nil fecerunt; Deus Christus noster,pro dœmonibus non est mortuus,vt pro homine;pręterea dœmon semel tantũ à Deo defecit,homines verò millies ab eò se rebellant; præterea dœmon caret ςorpore, homo verò in corpore,& in anima patietur.

Nota tamen,quod ignis Inferni, & pœnæ aliæ; primo pro dœmonibus fuerunt pręparatæ, secundariò verò pro hominibus, & hæc est sententia diu.Gregorij, inde in Euangelio dicitur, ite in ignem æternum,qui paratus est diabolo,& angelis eius.

2 Nota etiam quod vsque ad diẽ Iudicij † dœmonum maior pars est in aere caliginoso, & obscuro, & multi sunt etiam in Inferno ad puniendum animas, sed post Iudicium omnes erant in Inferno,diu.Bonauent.2.sentẽt. dist.6. & licet nunc sunt in aere caliginoso,secum tamen semper habent pœnas Inferni, & etiam saltem pœnam maiorem, quæ priuatio est visionis diuinę.

3 Nota † etiam quod animæ, quæ sunt in Lymbo, tantum pœnam damni patientur, & erunt semper ibi.

Aliqui tamen tenuerant,vt ait Riccardus, quod post Iudicium habitabunt in hoc nostro mundo, sed non hoc tenendum. Sed tamen vita hoiũ, qui sunt in Lymbo; est felicior, & delectabilior vita,ac vita in hoc mundo; Ha lyro.Sup.Eccl.c.6.& hoc intellige naturaliter. Hinc Scotus te-
4 net esse probabile hos in Lymbo existentes, habere cognitionem naturalem omnium scibilium, quam habuerunt omnes phylosophi in hoc mundo,ac etiam quòd habent cognitionem naturalem de Deo saltem in generali propter quod dici poss t quodammodo, & ipsi Beati naturaliter, & potest esse ratio, quia sunt separati à corpore, & ideò in intelligendo expeditiores: & illa poterunt scire per reuelationem,vel alio modo, vt supradictum est.

5 Et licet † maior pœna damnatorum sit priuatio diuinæ visionis,& hæc pœna est in Lymbo, non tamen dicendum, quòd ita vehemens sit illorum pœna, ac existentium in Inferno inferiori,quando ex alterius culpa, non ex propria, patiuntur, & sic mitior: imò lęuissima est, nec tristantur,quia non sunt beati,nam sunt concordes cum Dei voluntate.

De pœnis his omnibus D. August. dicit: vbi mors sine morte, finis sine fine, & defectus sine defectu.

Tandem pro huius flebilis materię
6 complemento; pœnæ † Inferni sunt tot, & tantæ, quot, & quantas sciuit, voluit, & potuit Deus contra suos rebelles; à quibus pęnis liberet me Antonium Raguzium & omnes fideles suos, ob eius immensam misericordiam. Amen. præcipuè verò meos parentes Ioannem, & Portiam, & Io. Blasium meum carissimum nepotem Sacerdotem.
7 Nota hic, quòd † Abyssus dicitur locus niger, & obscurus, & multum expanditur, & additur quòd centum millia ponderum plumbi per septem annorum spatium descēdendo ad ima, vix peruenient ad eius profunditatem. Additur etiam, quòd in In-
8 ferno † non erit ignis rarus, vt in hoc mundo, sed vehementior, & congregatus, & spissus, vt est terra.

QVAESITVM LXI.

SVMMARIVM.

1 *Resurrectio carnis quod futura sit articulus fidei est.*
2 *Resurrectio carnis vbi futura sit, & num. 3.*
4 *Caput est principalior pars corporis.*

An resurrectio carnis futura sit, vbi, & quando?

1 DIc, quòd † est futura, & est articulus fidei, & aliqui
2 dixerunt † faciendam esse vbi cor reperitur, vel puluis ipsius, quia principalior pars, & primum in nascendo, & vltimum in moriendo.
3 Aliqui † dixerunt faciendam esse in loco, vbi caput reperitur saltem in puluerem reuersum,
4 & ratio ipsorum est, quia † caput est principalior pars; imò vbi ipsum caput est, ibi sepultura est, & ibi dicitur esse totus homo: facit ad hoc l. cum diuersis C. de re, & sump. funer. D. Ambrosius ait, quòd caput dirigit totum hominem. Riccardus tenet fieri, vbi est caput, & vbi est cor. Sed tu dic melius, fiet vbi Deo placuerit.

QVAESITVM LXII.

SVMMARIVM.

1 *Resurrectio eorum qui enumerantur in summario qualiter fit?*
2 *Resurrectio carnis quomodo fiet?*
3 *Corpora damnatorum, & Beatorum in quo differunt post Resurrectionem carnis?*

4 *Resurrectio carnis ad quam statura fiet.*
5 *Hermaphroditi in quo sexu resurgent?*
6 *Abortiui, & mostra qualiter resurgent?*
7 *Caro humana quae fuit cibus alterius quomodo resurget?*
8 *Costa Adam ex qua fuit facta Eua quomodo resurget?*
9 *Damnati mortui senes, vel decrepiti in qua aetate resurgent?*
10 *Verba Euangelij multi sunt vocati, pauci vero electi quomodo intelliguntur?*
11 *Philosophi etiam sub lumine naturali aliquod de resurrectione carnis dixerunt?*
12 *Verba Iob. Homo cum dormierit non resurget, & aliae authoritates quomodo intelliguntur?*
13 *Tuba qua iudicandi vocabuntur ad Iudicum qualis erit?*

Quomodò fiet resurrectio eorum, qui vel in elementa resoluti fuerunt, vel qui ab animalibus deuorati, vel igne cremati sunt, & puluis in aere dispersus fuit?

Dic, (praeter ea, quae dicta sunt) vt infra, secundum
1 Riccar. hi† resuscitabunt vbi maior pars eorum corporum, vel materiae remansit: idem dic de illis, qui in furcis cõsumpti sunt, vel quorum puluis in diuersa loca dispersus fuit, quòd scilicet fiet resurrectio in eo loco, vbi maior pars reperietur, ita diuus August. de ciuit. Dei. Et resurre-
2 ctio † fiet hoc modo, primo omnia corpora fient cineres, exceptis priuilegiatis. Secundo fiet recollectio cinerũ ministerio Angelico, per quos Angelos separatim disponentur in loco suo. Tertio diuina virtute corpora organizabuntur, & reformabuntur. Quarto fiet integratio omnium membrorum, etiam eorũ, quae defecerunt iniuria naturae, vel ex vi humana, vel infirmitate. Quinto restituentur homini omnia necessaria, etiam quò ad humores, & reliqua necessaria perfectionis ipsius, vt in Nanis, vel Pygmeis. Sexto fiet reformatio quò ad superflua, vt de pilis, & simil. & dicit Lyra, quòd resuscitabunt non solum cum necessarijs naturae humanae, sed etiam cum illis, quae erant ad ornatum. Septimo fiet vnio animae cum corpore diuina virtute. Octauo remouebuntur omnia superflua, & deformitates à corporibus beatis, hinc diu. August. de ciuit. Dei, resuscitabunt beati sine vitijs, & fiet perfectio cuiuscunque annorum scilicet 33. vt fuit Christus Dominus, Magist. sentent dist. 43.
3 Nota quòd corpora beatorum,

&

& damnatorũ erũt paria quò ad naturalia, sed beatorum impassibilia, damnatorum verò passibilia.

Nota, quòd omnes erimus differẽ-
4 tes, nec resurgemus † in eadem statura, sed in ea, ad quam peruenisset, seù peruenit quis in termino suæ decrescentis ætatis, quando scilicet amplius nõ crescit, sed potius decrescit: quisque ergo habebit suam quantitatem propriam cum suis dimensionibus, non tamen eandem staturam.

5 Nota, quòd † hermaphroditi, qui æqualiter participant de vtroque sexu, resurgent masculi: sed si inæqualiter participant de vtroque sexu, resurgent in eo sexu, in quo præualet sexus:
6 Abortiui, † & monstra si habuerunt animam intellectiuam, resurgent in debita ætate, sine de-
7 formitate, & caro † humana, quę fuit cibus alicuius, resurget in eo, cuius erat, & Deus reparat pro eo, quod deest tali occasione, quia fuerit nutritus illa carne
8 humana, & costa † Adam resurget in Eua & nõ in Adamo, quia tunc Deus ædificauit carnem pro ea in loco, vbi erat costa, & sic facta est costa Euæ, Riccard in 4. dist. 43.
9 Et an damnati, † si mortui sint senes, vel decrepiti, vel senes resurgent eadem ætate, vel iuuenili ætate, remitto Lectorem ad Theologos, qũi materiam hanc fusius tractant, & has curiositates prudẽs omitto breuitati studens, sicut etiam, plures ne saluabuntur homines, vel fœminæ, cum pro vtraque parte respondeant Theologi. Similiter si plures ex Christianis saluabuntur, vel damnabuntur, & huic quęsito respondent plures saluari, & textum Euangelij Matthęi c. 20.
10 multi † sunt vocati, pauci vero electi, interpretantur qui, huius sententiæ sunt, non de Christianis sed de natione Hebræa.

Concluditur ergo futuram esse resurrectionem, & esse vnum ex articulis fidei, vt supradictũ est, & infra, in alijs quæsitis dicetur, & habetur Iob cap. 11. cãtantis, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circundabor pelle mea: & de hac re non finit dubitare fides nostra.

11 Imò aliqui † philosophi sub lumine naturali aliquid de eam dixerunt, vt ait diu. August. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 13. namque dicebant, quòd mundi sæcula eadem numero per circulũ reuoluerentur, & in lib. 22. cap. 25. de Varrone refert afferente, quosdã philosophos tenuisse carnis resurrectionẽ post annos quadringentos quadraginta; & easdem animas earum corporibus proprijs regressuras; & Plato in dialogo de pulchro scripsit de animorum transmigratione quę etiam fuit opinio Pitegoræ; idẽ Cicero in fragmento de Repu-

blica;

blica; idem asseruerunt alij per multi; licet per multi alij in hoc errauerunt: itaque relinquamus erroneas opiniones,& adhæreamus Catholicæ veritati, scilicet, corporum resurrectionem futuram esse in Iudicio vniuersale, nec obstat illud Iob. 24. homo
12 cum dormierit, nõ resurget, donec atteratur Cœlum; nec obstat illud Danielis 12 quod multi, qui dormiunt in puluere euigilabunt.

Ergo non omnes resurgent, nec illud Dauidis non resurgent impij in Iudicio, Psal. 1. nam sunt declarandæ allegatæ authoritates, quia Iob non voluit negare resurrectionem, quam ipse fatetur, sed voluit dicere, quòd futura esset, quando Cœlum deficiet, non quoad substantiam, sed quò ad eius virtutem genitricẽ, quia cessabunt tunc corruptiones, & generationes; & secundum hunc sensum intelliguntur verba Euãgelij; cœlum, & terra transibunt: & verba Apostoli præterit figura huius mundi.

Alia verò authoritas exponitur, quòd omnes resurgent, sed non omnes ad gloriam: vide Sotum in 4. dist. 43. q. 1 artic. 11. vel impij non resurgent, quia non faciũt ipsi Iudicium de eorum perdito statu; nam qui se ipsos iudicant suo ipsi Iudicio resurgunt à peccato ad pœnitentiam.

Vel dicas, quòd multi, idest omnes, & hic est frequens loquendi modus in scriptura; vel dicas, quòd impij non resurgent resurrectione spirituali in Iudicio discussionis conscientiæ, quæ fit in hac vita; vel dicas quod Iudiciũ finale erit duplex in infidelibus, alterum discussionis quo redditur ratio factorum (& hæc non est in infidelibus) alterum est condemnationis, idest prolatio sententiæ; & hoc condemnabuntur infideles. Vide Sotum loco citato. Concluditur ergo, quòd resurrectio erit vniuersalis, & de hoc nõ desunt testimonia sacræ scripturæ quæ breuitati studens prætereo.

13 Et nota de tuba, † qua euocabuntur iudicandi quòd, vt ait Remigius, non erit re vera corporea intelligenda, sed Archangelica vox, quæ adeo magna erit, vt ad clamorem illius, omnes mortui de terræ puluere resurgant; de hac tuba continuè timebat diu. Hieronymus, de hac Chrys. sonus tubæ pertinet ad resurrectionem, ad gaudium, ad representandum stuporem, qui tunc erit, ad dolorem illorum, qui relinquentur, & non rapientur in nubibus.

QVAESITVM LXIII.

SVMMARIVM.

1 *Resurrectio corporum erit in fine mundi.*

2 Qua-

2 *Quare Christus non distulit suam resurrectionem vsque ad finem mundi?*
3 *Resurrectio aliquorum cum Christo qualiter processerit, & num. 4.*
5 *Locus Ioannis in cap. 20. Apoc. vbi habetur quod erunt connumerãdi mille anni antequam fiat consumata resurrectio, quomodo intelligitur?*
6 *Verba quod Angelus, idest Christus ligauit Sathanã hoc tempore quomodo intelligitur.*
7 *Dæmones nunc alij in aere caliginoso, alij in Inferno.*

An tempus resurrectionis sit futurum in fine mundi?

1 Dic, quòd resurrectio corporum † erit in fine mundi, & hæc responsio colligitur ex Euangelio Matth. vbi nomine messis intelligitur dies vniuersalis resurrectionis, quod erit in consumatione sæculi, quando Dominus mittet messores, nempè Angelos, qui colligent scandala ad ignem, & triticum in horreum, & Matth. 24. idẽ colligitur, & multis alijs in locis, & Paulus 1. Cor. 15. in Christo omnes viuificabuntur, & deinde finis, ita quòd in fine mundi, & carnis resurrectio erunt eodem die.
2 Nec obstat † quod Christus caput nostrum non distulit suam resurrectionem vsque ad finem mundi, quia respondetur, quod Christi resurrectio decuit fieri citò, & illicò, vt spem suis membris, qui sunt fideles, futuræ resurrectionis certam generaret; nam resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ.
3 Nec obstat, † quòd aliqui surrexerunt cum Christo statim, (vt multa corpora Sanctorum, &c.) propterea decuisset tũc fieri vniuersalem resurrectionem, nam id fuit ex priuilegio gratuito, & singulari prærogatiua; nihilominus multi tenuerunt, quòd resurrectio eorum fuerit transitoria resuscitatio, diuus Hieronymus in sermone de Assumptione Virginis indecisum reliquit; aliqui dixerant, quòd resurrexerunt in vitam æternam, & huic sententiæ adhæret diuus Thomas in quarto, licet in tertia parte q. 53. art. 3. dicat quod iterum mortui sint, & hæc opinio videtur esse Augustini in Epist. 99. ad Euodium, vide Sotum loco citato.
4 Nota † hic, curiosam rem, quòd illi, qui surrexerũt, vt supra, non resurrexerũt in corporibus gloriosis cum perpetuis dotibus, sed fortasse cũ dotibus per modum citò transeuntium; vel etiã dic, quòd forsitan resurrexerunt non nisi in corporibus corruptibilibus, vide Sotum loco citato.
Nec obstat, quod post finem mundi

di nullum fiet tempus reliquum,
5 sed post † resurrectionem erunt connumerandi mille anni antequam fiat cõsumata resurrectio, vt ex cap. vigesimo Apocalypsis, nã exponitur locus Ioãnis, quod mille anni, quibus dicitur Satanas ligatus significat totum tempus Ecclesiæ Euangelicæ, & per duas resurrectiones, intelliguntur spiritualis à peccatis, & temporalis: vtraque Christi aduentu facta, & ideò Ioannes appellauit beatos eos, qui habent partem in prima resurrectione per gratiã, quòd in his secunda mors non habet potestatem, vide Sotum loco citato in fine in 4. sent. distinct. 43. q. 2. art. 1.
De prima, vidi Angelum descendentem de Cœlo, &c. de secunda, vidi sedes, & animas decollatorum, & interpreti Augustino, illæ resurrectiones intelligendæ sunt non aliæ, quàm spirituales à peccatis, & corporales vniuersales.
6 Et cùm dicitur, † quòd Angelus, idest Christus ligauit Satanam hoc tempore, intellige, quòd nõ permittit sic prædestinatos tentare, & superare, vt tamen non detineat vinctos vsque ad mortẽ ita Sotus loco citato. Nota hic,
7 quòd dæmones sunt in aere caliginoso, tanquam in carcere vsque ad diem Iudicii: August. 3. super Genes. ad lite ã diu. Tho. 1. p. q. 6. & sunt ibi ad hominum exercitium, & mult eorum sunt in Inferno, ad puniendũ animas damnatas; & hoc vsque ad Iudicium, quia tunc omnes erunt inclusi in obscuro Inferno, & licet Angelus non dependeat à loco, vt spiritualis, sed locus est illis dœmonibus pœnalis, non quod offendat naturam, sed quia torquat voluntatem, quia ibi nolũt esse diu. Tho. l. c. q. 64.

QVAESITVM LXIV.

SVMMARIVM.

1 *Dies resurrectionis vniuersalis est occulta omni creaturæ, & per quas causas?*
2 *Expediens est Ecclesię hoc tempus ignorare, & quare?*
3 *Angeli in visione verbi beatifica an videant diem Iudicij?*
4 *Quomodo intelligitur quod neque filius patris cognoscat diẽ Iudicij.*
5 *Iudicium vniuersale quando futurum sit?*
6 *Ignis conflagrans tempore Iudicij cuius erit effectus?*

An dies, vel hora resurrectionis vniuersalis possit sciri ab homine, vel Angelo per speculationem sacrarum literarum?

1 DIc quod dies † illa est occulta omni puræ creaturæ,

tùm per causas naturales, quàm per viã Dei ordinariã ex Euang. Matth. 24. & Marc. 13. De die illa, & hora nemo scit, neq; Angeli Cœlorum, nec filius, sed solus pater.

2 Et expediens † est Ecclesię, tempus hoc ignorare, vt semper vigiles essemus nam si fuisset præcognitum tempus, homines fierent segniores, & vecordes ad benè operandum; est ergo tempus illud occultum, nec cognoscibile per sacras literas, nec obstat locus Apocalypsis cap. 12. vbi habetur, quòd mulier, idest Ecclesia, habet locum paratum à Deo, vbi pascatur diebus mille ducentis sexaginta; & Danielis 12. vbi legitur: finis mundi futurus à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita in templo abominatio, & dies illi ducenti sexaginta, in quibus locis, dies pro anno ponitur, iuxta Exechielis 4. diem pro anno dedi tibi; nec obstat quòd Angeli saltem id sciunt, qui sunt in conspectu Dei; nam per illud tempus intelligitur quod Ecclesia habebit totum tempus ab orbe redempto vsq; ad Antichristum; & hic non ponitur dies pro anno, sed per dies significatur totũ tempus, quo Ecclesiã est duratura; sed dies apud Danielem significat tẽpus persecutionis Antichristi, itaque dies Apocalypsis significant dies Ecclesiæ vsq; ad finem mundi; dies verò apud Danielem significat tempus durationis Antichristi, licet possit vtrumque tempus referri ad numerum durationis Antichristi.

3 Nota hic (vt Riccardus refert) non deesse qui affirment quòd Angeli in visione verbi beatifica videant diem Iudicij, quia hoc pertinet ad gloriam accidentalẽ, sed hoc aliqui negant probabilius, quia non pertinet ad eorũ beatitudinem, & illud Euangelij; de die autem illa nemo scit, neque filius hominis; intellige, vt reuelet.

4 Nota etiam † quomodo dicatur non cognoscere, neque Christus filius Patris, cũ certum sit, quòd sciat, & vt Deus & vt homo; intellige quòd nesciat vt reuelare debeat alijs, quia hoc reuelare non erat expediens fidelibus, nã in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, quos non reuelat, nisi vbi congruens est.

5 Aliqui tamen † dixerunt coniecturaliter quòd post sex mille annorum expleto numero Iudicium futurum est; & post septimum millenarium mundum finiendum; Lactantius lib. 7. de diuino præmio cap. 14. & c. 25. Elias non ille Propheta, sed alius opinatus est, mundum duraturũ sex millia annorum, alij opinati sunt, mundum duraturum quadringentis annis quibus fuit populus Israel in Aegypto, vt refert Augustinus lib. 18. de ciuit.

Dei

Dei cap. 35. alij quod mundus erat duraturus quingentis annis, & omnes decepti sunt, vt ibi Augustinus, vide Sotum loco citato art. 2. sed has curiositates, quia non ædificant, missas faciemus.

6 Nota hic, quòd † tempore Iudicij ignis conflagrans, concremabit omnes, etiam illos, qui viui tunc reperientur, & si sint perfecti; imò tunc non erunt viui, nisi illi, qui sunt de numero perfectorum, & tamen ignis incinerabit eos quò ad corpus, vt resurgant cum alijs Electis: & hoc erit eis maxima consolatio; nam morientur antea ob intemperiē aeris, & ob excessiuum calorem, qui præcedet ante faciem illius ignis.

QVAESITVM LXV.

SVMMARIVM.

1 *Collectio puluerum quæ fui ministerio Angelorum in die iudicij ante fiat in instanti?*

2 *Præparatio in resurrectione vniuersali fit in tempore infusio animarum in instanti, & quomodo.*

3 *Ordo iudicij vniuersalis qui erit.*

An resurrectio vniuersalis futura fit subitò de nocte, vel de die?

DIc quod in resurrectione duo consideranda sunt scilicet,

1 † quæ fient ministerio Angelorum, vt collectio puluerum, & hæc non fiet in instanti, sed in tempore, ita tamen velociter, vt inperceptibile videatur, sed inductio animæ subito consumabitur à Deo, scilicet in termino illius temporis quo Angeli compleuerunt opus suum & per puluerem, seu cineres intellige omne illud, in quod corpora fuerunt resoluta.

Itaque vt ait Damascenus lib. 4. cap. 28. cùm moritur homo, anima à corpore separatur, corpus resoluitur, vel in terram, vel in aliud elementum, vel in herbas, vel in vermes, tunc ergo prius congregabitur, & vnietur corpus, & deinde inducetur anima, & hæc nocturno tempore, nec

2 itaque † in resurrectione vniuersali, præparatio fiet in tempore, more Angelico inperceptibili, infusio animarum in instāti, more diuino, vt ita dicam, in summa aurora, vt dictum est, licet alij dicant in media nocte, iuxta illud, media nocte clamor factus est; sed hoc scire, vel inuestigare potius curiositatis est, quàm pietatis: reliquum est, vt vigilemus semper, vt cum dominus venerit, inueniat nos vigilantes.

3 Et ordo in Iudicio † erit talis, quòd dominus Iesus veniet cum sua Beata Matre Maria quæ Syriacè quasi Domina dicitur, & Angelis, vt ait Chrysostomus, qui ferent signa passionis ante ipsum Iudicem, & tunc mandabitur eis, vt desinant mouere cœlos, & cessabit motus, deinde mittentur Angeli cum tubis ad citandum omnes dœmones, & animas ad hoc Iudicium, quod intellige modo spirituali, & Angelico, vel, vt alij volunt, vox Archangelica erit tuba, & tunc collectis cineribus, & præparatis ministerio Angelico, immittetur anima, imò vox Christi est tuba, vt ad Corynth. 15. & Ioan. c. 5.

QVAESITVM LXVI.

SVMMARIVM.

1 *Cineris appellatione apud Theologos quid veniat.*
2 *Humana corpora ante resurrectionem vniuersalem in quo resoluuntur.*
3 *Cur dicitur cinis es, & in cinerem reuerteris si corpora resoluuntur in alia elementa.*
4 *Christus quare non resurrexerit ex cineribus.*
5 *Resurrectio carnis qualiter fiat.*
6 *Iudicium vniuersale vbi sit faciendum.*
7 *Locus vallis Iosaphat quis intelligitur.*

An antequam resurgant mortui in Iudicio, omnes prius resoluentur in cineres?

1 Dic quod mos † est sacrorum Theologorum generali nomine cineres appellare quidquid sit illud, in quod corpora humana resoluuntur, forsan quòd antiquitus cadauera commurebantur in cineres: dic ergo quod
2 cũcta humana corpora omninò vsque ad elementa resoluentur diuus Thomas argumento 4. & alij; itaq; post diem Iudicij omnia mixta interibunt, & sola elementa remanebunt, & hoc est loquendo, de homine in pœnam originalis culpæ exceptis priuilegiatis, vt Beata Virgine Enoch, & Elia, & in primis propriè, & per naturam D. N. Iesu Christo, & si dices, quod resoluentur cor-
3 pora in elemẽta cur potius † dictum est, terra es, & in terram reuertens? quia, elementum terræ plusquam alia in homine dominatur, nam de eo conditus est: hinc Augustinus in Enchyrid. cap. 38. Non perit Deo terrena materies; de qua mortaliũ creatur caro, sed in quamlibet puluerem, cineremque soluatur, in quoslibet halitus, aurasq; diffugiat, in quacumq; aliorum corporum substantiam, vel in ipsa

ele-

elementa vertatur, in quorum cumq; animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur; illi, anima humana puncto temporis, redit, quæ illum primitus, vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.

4 Nec obstat, quòd † Christus nostrum exemplar, non resurrexit ex cineribus, nam ratio exẽplaris causæ consistit non in termino à quo, sed in eo ad quem fit consumatio: nam omnes mortui resurgent in corporibus verè viuentibus; in quo conformabuntur etiam damnati, corpori Christi, licet Iusti resurgent in corporibus gloriosis.

Itaque omnia corpora reducentur in cineres, ea etiam quæ non dũ dissoluta erant ab igne præcedẽti faciem Iudicis, quo expurganda est faciei mundi.

Nota hic quod in cineribus illis nulla remanebit inclinatio ad corpora reassumenda. Sotus ibidem q.2.art.5. inest sed illis cineribus sola obediẽtia ad diuinam omnipotentiam.

5 Nota etiam quod † resurrectio fiet hoc modo, cinerum omniũ fiet in vnum locum cõgregatio, ministerio Angelico, scilicet in Valle Iosaphat, in quo Iudiciũ futurum est, vel quòd vnusquisque resurget ex eodem loco, quò sepultus fuit, vel ex eodem loco, vbi maior pars corporis, seù cinerum sit; sed primus modus est rationabilior, Sot. loc. cit. licet non desint authoritates in contrarium. vt omnes, & singuli resurrecturi sint de sepulchris, si in illis extiterint, vel eo terræ loco qui est proximus illi, in quo quisque fuerat sepultus, itaque Angeli cineres cuiusque ad sepulcrum sunt delaturi.

Sed hic nota, quòd licèt contingat plures esse sepultos in eodem sepulcro, datur penetratio inter corpora gloriosa Iustorum saltẽ in illis officijs subeundis, quę Dei obedientia respicient, sed damnati diuina virtute se penetrabant.

6 Aliqui † dicunt probabiliter, quòd vbi mortuus est quis, ibi surget, vel vbi maior pars puluerum est, & si nullibi fuerint partes, quàm alibi, tunc resurget vbi Deus voluerit; ex sent. Riccardi referente Sot. loc. cit. qui eum reprehendit, quod non loquitur, vt Theologicè. Et si allegantur testimonia, quòd resurgent de sepulchris, vt Ezechiel.27. aperiam tumulos testios, & educam vos de sepulchris vestris, & Ioãnis V. omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & Matth.27. monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum surrexerunt; dic quòd hæc testimonia prolata sunt ad modum intelligendi populi, prę sertim cum in monumẽtis erunt creberrimi cineres, & pulueres, vt meritò dici possit quòd corpora ex tumulis resurgent: ha-

bes

bes ergo diuersas sententias circa modum, & locum resurgendi.

Nota hic vltra dicta, secundum Magistrũ sent. dist. 8. lib. cũ tota
7 schola Theologorum, quòd † de Valle Iosaphat, est intelligend, non de loco literaliter, sed secũ dum suam interpretationẽ, quia Iosaphat, interpretatur Vallis Iudicij.

QVAESITVM LXVII.

SVMMARIVM.

1 *Resurrectio carnis in qua anima, & corpore fiet.*
2 *Aristotelis dictum in secundo de generatione textu vltimo qualiter intelligendum.*
3 *Anima sensibilis non est distincta à rationali.*
4 *Verba Apostoli ad Cor. c. 15. nõ corpus quod futurum est, quomodo intelligitur.*
5 *Fama mixti in corpore est anima rationalis.*
6 *In resurrectione mortuorum resurrectio quolibet hoc omne id quod est de veritate naturæ humanæ, & qualiter intelligitur.*
7 *Resurrectio fit in ætate Christi, & quomodo intelligitur, nu. 8.*
9 *Inæquales, & aborti in qua ætate resurgent.*

An homines resurrecturi sint in eisdem corporibus, in quibus vixerunt in hoc mundo?

1 DIc vt infra, quòd si loquimur de anima, resurgent cum eademmet anima, quæ eadem numero in suum corpus reuertetur; si loquimur de homine, resurget idem ipse homo, qui cecidit; & sic intelligitur articulus de resurrectione, quem confitemur: si loquimur de corpore resurgẽt in eisdem corporibus, in quibus vixerũt, quę erunt eadem ab extrinseco, nẽpè quòd informabuntur ab eisdẽmet animabus rationalibus, & ex eisdem pulueribus, in quas fuerant resoluta Sotus loco citato artic. 1. quæst. vnica dist. 44. qui refert errasse Durandum, & esse de fide quòd idem homo resurrecturus sit in eadem carne, vt ait Iob.
2 Nec obstat quod dicit † Aristoteles in secundo de generatione textu vltimo, nempè quorum natura mortalis est, & dissipabilis, illa necesse est replicẽtur specie non numero, nam ibi Aristoteles locutus est naturaliter in rebus, quæ per motum redeunt, nam quæ fiũt in generationibus horum inferiorum, redeunt eadem, specie, sed non eadem numero, at Deus, qui non pendet

nec

nec à motu, nec à tempore, potest eadem numero reproducere.

Nec obstat, quod aliqui dicebant, quòd in resurrectione non potest redire anima sensibilis, quæ est extincta cum corpore, quia per obitum extinguuntur tactis
3 sensus, nam † anima sensibilis, non est distincta à rationali: vt rectè diu. Thomas, & propterea regrediendo anima rationalis, redit. & sensus Sotus l c.

Nec obstat quòd alij opinabantur
4 ex verbis † Apostoli ad Cor. c. 15. per hęc verba; non corpus quod futurum est semines, sed nudum granum; vbi insinuat aliud corpus nos seminare in morte, nam debent intelligi verba Apostoli similitudinariè non tamē æquali similitudine, sed quòd resurgent corpora nostra alia quo ad accidentia, idest, quòd seminantur corruptibilia, & resurgēt nobilia, & incorruptibilia, & sic currit similitudo.

Nec obstat apparens ratio aliquorum, quòd corpus non potest idē resurgere, quia tota substantia mixti interijt, & tunc quando interrumpitur esse, illud esse qđ postea reuertitur, est diuersum ā
5 primo esse, quia † forma mixti in corpore est idem quod anima rationalis, & ideo in obitū hominis non perijt forma, sed separata est, quæ reuertendo idem mixtum constituit, vide Sotum in 4. dist. 44. q. vnica art. 1.

6 Nota hic quod in resurrectione mortuorum resurget in quolibet homine omne id quod est de veritate naturæ humanæ; & id intellige tàm quò ad naturæ indiuidui, quàm speciei veritatē, & ornatum, verbi gratia, quòd
7 omnes † resurgent illa ætate, & corpore qua Christus resurrexit, & in ea quantitate, quæ eidē ætati erit congrua, quidquid dicant aliqui vana opinantes, quòd corpora mortuorum innumeras penè mutationes, & corruptiones, vt vix deprehēdi possit, passa, nō possint resurgere, vt supra conclusum est, nam diuinæ voluntati, & Angelorum ministerio non erit difficile reliquias illas, & cineres vndique subtractas colligere.

8 Resurgemus ergo † in ætate Christi, iuxta quantitatem, qua natura non errante, creuissemus, & reassumemus corpus quod habuimus eadem materia refectum in articulo illius temporis cum nullo vitio, cum nihilo obeso, vel crasso, & si quid tale habuimus in vita tanquam superfluum, relinquetur.

Et si quid morbi, vel senij fuerit in corpore, reparabitur diuina virtute, & reparabitur quid per miserias humanæ vitæ nobis fuit ablatum, imò dabitur, id quod natura conferre non valuit.

9 Hinc infantes, † & ab orsi habebunt quod eis deest ministerio Angelorum vsque ad legitimam

quan-

quantitatem; itaque idem homo resurget quo ad corpus, quo ad animam, quo ad compositum, cum eisdem ossibus, carnibus, & organis corporis: vide diu. Augustinum de Ciuitate Dei c.22. & in Enchirid. cap.85. Sotus in loco citato art.2. diu. August. l.c. dicit hæc verba, quòd commemorauit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ętate, ad quam Christus perueniſſe cognouimus, idem resurgemus iuuenili ætate non senes. Riccardus dicit, quod quisque resurget, ea statura, quã quisque habebat, vel habuisset, si vixisset.

QVAESITVM LXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Resurrectio fiet cum omnibus membris quæ sunt ad integritatem naturæ.*
2 *Mostruosa corpora quomodo resurgent, idest quibus membris,*
3 *Martyres quomodo resurgent, idest an cum cicatricibus.*
4 *Reprobi an resurgant cum eorum deformitatibus, & nu. 5. & 6.*
7 *Intestina Beatorum an resurgent plena, & ex quibus.*
8 *Verba Pauli quod caro, & sanguis Regnum Dei non possidebunt quomodo intelligitur.*
9 *Mèbra deputata nutritiuæ virtuti an resurgent.*
10 *Qui surrexerunt cum Christo quomodo resurrexerint.*

An homo resurgat cum eisdem humoribus, & membris?

DIc vt infra, quòd electi resurgent cum omnibus mẽ
1 bris, † quæ sunt ad integritatẽ naturæ, siuè illa in vita habuerint, siuè illis orbati fuerint, siue non habuerint, vt ceci, vel muti; itaq; corpora Sanctorum resurrectura sunt correpta, & emendata natura, & si aliquod † mo
2 strum fuerit, vt refert diuus Hieronymus natum in oriente bimembre, tunc resurget quisque defunctus, dummodò habuerit duas animas illud mostrum; sed si vna ei inerat anima, tunc dempta superfluitate, vnus resurget: vide Augustinum loco citato de Ciuitate Dei cap.19. & in Enchirid cap.85 & 91.
3 Idem dic de † martyribus, quòd resurgent integris membris; nota hic quod martyres resurgent cum cicatricibus effulgentibus super omni lapide pretioso, vt cicatrices vulnerum Christi, Sotus loco citato art.3.

Sed

Sed de reprobis Augustinus dicit in Enchirid. cap. 91. videtur sentire quòd resurgent † cũ eorum 4
defectibus, Durandus in 4. dist. 44. q. 2. dicit quòd reprobi resurgẽt cum omnibus partibus, sine quibus homo non esset homo, quæ sunt de essẽtia, sed quę sũt de integritate, vt manus, pes, &c resurgent eo modo quo fuerunt in vita si fuerunt illis orbati.

5 Tu dic secundum † diu. Thomã in 4. q. 3. art. 1. & cum Riccardo, quod corporis deformitas in damnatis non erit futura, vt turpitudo, orbitas, & simil. namque omnes resurgent integris membris, de alijs verò deformitatibus, seu vitiorum generibus, li cèt alij affirment cum eis resurrecturos reprobos, tamen diuus Thomas contrarium tenet; itaq; & miseri illi resurgent integro corpore, vt beati, sed quo ad deformitates, aliqui dicunt quod resurgent sine illis, alij tenent, quod resurgent cum illis. Diuus August. in Enchirid. dicit hæc verba; nos fatigare non debet, eorum incerta pulchritudo quorũ incerta erit, & sempiterna damnatio.

6 Nota hic † quod reprobi resurgent etiam cum illis defectibus, qui corporibus insunt ex principijs naturalibus humanis, vt cum passibilitate, cum pondere, cum opacitate, cum obscuritate, & alijs, quæ in beatis excludun tur per dotes gloriæ.

Nota etiam quod intestina Beatorum nõ erunt vacua quod abhorret † natura, nec plena in mundis fecibus, quod dedecet statũ 7
beatum. sed erunt plena deceptibus alijs humiditatibus; hinc Augustinus inquit; In interioribus visceribus, quę nullũ decus modò videntur habere, ita pulchritudo rationis delectabit, vt omni formæ apparẽti quæ oculis placet secundum mentis iudicium referatur, sed in damnatis erunt plena fętidis egestionibus, nam naturales eis sunt. Sotus loco citato.

8 Nec obstat verbum † Pauli 1. ad Cor. 4. quod caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt, vt propterea dicatur quod corpora resurgent sine humoribus, nã declarantur verba Apostoli nomine carnis, & sanguinis intelligi opera carnis, vel quòd caro, & sanguis non erit ibi, vt sunt in hac vita subiecta corruptioni: Augustinus in Epistola ad Consentium, & in libro secundo retractationum.

Nec obstat, quòd aliqua membra non resurgent in beatis, vel reprobis, quia eorum vsus cessauit,
9 vt membra † deputata nutritiuę virtuti, vel generatiuæ quia nec in Cęlo, aut Inferno est indigentia cibi, neq; nubent, vt propterea non sint necesse membra deseruientia ad id, quia in resurrectione mẽbra resurgent, vt cor

N pus

Pus sit perfectum, nõ vt operentur membra, nec propterea quia non operantur, erunt sine operatione superflua, quia deseruiũt ad ostendendam vim, quam habet anima ad cuncta mouendũ: resurgent ergo cum omnibus membris.

10 Nota hic, de illis, † qui cũ Christo resurrexerunt, quod Remigius, & Beda, super Marcum dicunt; resurrexisse ad vitam immortalem; & ratio horũ est, quia maius tormentum fuisset eis iterum mori, quàm si non resurrexisset: Hieronymus super Matth. & August. in Epistola ad Exod. dicunt resurrexisse iterum morituros, sed resurrexerunt, vt Dominum ostenderent resurgẽtem; idẽ tenet D. Tho. meus Doctor Angel. 5 p. q. 53. nu. 3. & respondetur primæ opinionis, quia illi poterant mori sine dolore, vt factum legi docet Hieronymus de Ioanne qui mortuus est sine dolore, & hæc secunda opinio est melior.

QVAESITVM LXIX.

SVMMARIVM.

1 *Resurrectio in quo sexu fiet.*

2 *Visio pudendorum non offendet in resurrectione, & quare?*

3 *In resurrectione an erit virtus nutritiua, augmentatiua, & generatiua.*

4 *Animæ Beatæ in corporibus gloriosis, an possint vesci.*

5 *Resurrectio in qua ætate fiet, & num. 6.*

7 *Resurrectio in qua statura corporis fiet.*

8 *Resurrectio in qua effigie, & forma fiet.*

9 *Senectus est testimonium prudentiæ.*

An omnes resurrecturi sint in sexu virili, & in ætate iuuenili?

1 DIc quod resurget † vterque sexus, scilicet masculus, & fœmina: Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 17. & si Paulus dicit ad Ephes. 4 donec occurramus omnes in virum perfectum, loquitur nõ de sexu corporis, sed de animi robore, & virtute fidei, & de corpore mystico Ecclesiæ, quoad perfectionem virtutum Christianarum.

2 Nec offendet † visio pudendorum, namque id operatur status cõfirmatæ gloriæ, vt in statu innocentiæ fuit, & nullus aderit pudor, vbi nulla adest libidinis commotio, sed laudabunt fine sine Deũ de tam decora vtriusq; sexus speciositate, non tamen illic mulier erit subdita viro, sed honesta charitas, & reuerentia

mari-

maritalis illic splendebunt.

3 Dic etiam quod † in resuscitatis erit virtus nutritiua augumentatiua,& generatiua perfectissime, sed nullum habebunt vsum.

4 Sed Augustinus dicit, † quòd animæ beatæ in corporibus gloriosis, si velint, possunt vesci, lib.22. de Ciuitate Dei cap.22. possibilitate non necessitate, sed tunc cibus non conuertaretur in substantiam, vt in Christo cibus conuersus fuit in præiacentem materiam. Luc.24. vide Sotum loco citato art.5.

5 Dic etiam quod omnes † resurgent in ætate iuuenili. Sed nota quod licet dicatur per Paulũ; donec occurramus in virum perfectum; intellige, dum secundum animam ad eam copiam virtutis pertingamus, quæ est in viro perfecto, vbi etiam resurgẽt fœminæ quæ erunt saluę vt infra dicetur,& quoniam vt ait Sotus in 4. citato art 4. complemẽtum perfecti viri ætas Christi, in qua Christus mortuus est & resurrexit apportat; hinc dicit Apostolus, in virum perfectum, & in mensurã plenitudinis Christi ætatis qui etiã resurrexit ante reuolutum lapidem ab Angelo Palud. in Genar. ij. in Dominica Paschæ.

Itaque per virum perfectum ibi nõ designat sexum corporeũ quasi quod in virili omnes ætate debeamus resurgere, vt Sotus loco citato, nec quòd debeamus omnes resurgere in illa ætate, aut statura Christi: Augustinus de Ciuitate Dei 22.cap.15. vbi dicit, quòd mortui resurgent, nec vltra, nec infra iuuenilẽ formã,

6 sed in † ætate, & robore Christi, qui vixit triginta,& tres annos, & tres menses, quæ ætas est vera iuuentus ex Doctorum virorum diffinitione Apostoli: ergo authoritas insinuat perfectionem ætatis, in qua homines debent resurgere, nec dicas quòd tempus lapsum in hoc sæculo non redibit neque ætas, quæ lapsa est cursu temporis, quia intelligitur quòd nõ redibit ætas præterita in resurgentibus, sed quòd corpus redibit cum flore iuuentutis, qui solet esse corporibus viuentibus in hoc sæculo illius ætatis, quòd contra accidet reprobis, quia fulgor ætatis illius iuuenilis contenebrescet per nebulam ignis nigrantis: vt Soti verbis vtar in loco citato.

7 Nota tamen hic † quòd nõ omnes resurgent eiusdem quantitatis, sed secundum staturas diuersas: Augustinus in Enchyr. c.90. & de Ciuitate Dei c.20. lib 22. & Hugo cap.15. quia in resurrectione recuperanda est perfectio speciei,& indiuidui, sed speciei non est præfinitus terminus à natura augumenti, vel decrementi, hinc sequitur quod quantitas non consistit in puncto indiuisibili, sed in latitudine, ita ut secundum diuersas complessiones,

nes, & caloris vim aut cibi, aut digestionis, aut etiam perfecti aeris, & ibi locus vulgo Chiaia, vbi præcipua Villa est Illustrissimi, & Reuerendissimi Alexandri de Sangro Patriarchæ Alexandrini, Archiepiscopi Beneuentani salubris regionis, vt est aer inclytæ vrbis Neapolis, & Ceruinariæ patriç meç, vel aliquarum felicium Insularum, & præcipuè Regio Montis Libani, vbi omnes erant gigantes, & regionis Germanicę, vbi sunt homines longioris staturæ, homines erunt alij alijs maiores, aut minores gracilliores, aut pinguiores. quia digestio, & concoctio perfectior fiet.

Et si dicas quòd aliqua Regio habuit gigantes, sicut Ciuitas Enos (vt ex Beroso) vel ætas antiqua ante diluuium quando gigantes erant, imò & post diluuium in regione Philistea, & Noè fuit gigas ex Syria, vt ait Ragazzola in suo sermone, ergo quòd resurgent eadem statura? respõdeo quod eadem statura eis restituetur dummodò mostrifica non sit quia hoc pertinet ad veritatẽ indiuidui, sed si quid gigãtes nimia proceritate alios superabãt reformabũtur, sicut supplebitur pygmeis, & pusillis statura ab ipso Christo, sed quid, quod vt dicit quidam scriptor, tempore Nicolai V. quædam comitissa peperit 300. puerulos, quanta vnguis humani digiti omnes humanas effigies habentes, omnes viuos, qui omnes fuerunt baptizati, his in resurrectione augumentabitur vita quantitas, sed quomodo dicentur resurrexisse in proprio corpore; dic, quod si est vera hæc Hystoria, diuina virtus supplebit sit, vel ita viget virtus illo paruo tempore operantur in illo addito, quod propria caro euadat saluo meliori sententia.

8 De effigie † vero, & forma dicas quod recipiet quis eam quam habuit in vita puram ab omni deformitate, sed tales erunt vt dignosci possint inter eos, & de coloribus: dicas quod resurgent cum ijs coloribus, qui venustatẽ, & pulchritudinem afferant; itaque Ethiopes non resurgent nigri, neque aliqui pallidi, qui color male fidus est, sed vt dictum est colore iucundo, & grato. loquor de beatis, sed de reprobis totum oppositum erit.

Habes itaque quod ætas erit eadẽ, sed statura diuersa in resurgentibus, & resurgent cum capillis, & vnguibus, nec aliter necessarijs, quia sunt adornamentum non autem ęquæ sunt illis superflua. Sotus vbi supra ex sententia Augustini.

Nec obstat quòd deberent omnes resurgere senes quia senectus
9 est testimonium prudentiæ, & sapientiæ, quia in altera vita non est opus sapientiæ, aut testimonio corporeo virtutum, nam merita nam dabunt premium,

licèt

licet qui prudentes fuerunt in hoc sæculo, aut sapientes, in alio sæculo retinebunt easdem sapientiam, & prudentiam, vt dixi, meritis huius vitæ palam dabitur præmium in altera vita, vide Sot. loco cit. artic. 3,

Absoluta meditatione de resurrectione mortuorum sequitur, vt de Iudicio vniuersali aliqua principaliora, & curiosa indagemus.

QVAESITVM LXX.

SVMMARIVM.

1 *Tria principaliora signa præcedentia Iudicum?*
2 *Discessio in hac materia, quid significat.*
3 *Locus Pauli difficillimus declaratur.*
4 *Antichristus quis sit, & vbi nascetur, & ex qua gente?*
5 *Antichristi officium, & quod officium Enoch, & Eliæ, & num. 8.*
6 *Prædicatio Euangelij quare præcedet Iudicium?*
7 *Martyres multi occidentur ab Antichristo pro fide Christi?*
9 *Iudæi in fine mundi ad prædicationem Eliæ conuertentur, & aliæ gentes.*
10 *Prædicatio Eliæ quanto tempore durabit?*
11 *Antichristus occupabitur a spiritu diabolico in vtero matris, & quomodo?*
12 *Alia signa præcedentia Iudicium, & num. 13.*
14 *Signa hæc licet ostendant Iudicium vicinum non tamen diem certum ostendunt, aut mensem?*
15 *Vallis Iosaphat quomodo capiat tot creaturas?*
16 *Damnati tempore Iudicij non videbunt Diuinitatem Christi.*

Quæ futura sint signa ante Iudicium vniuersale?

DIc quòd vltra signa, & portenta Cœlorum, & Stellarum, quæ tunc apparebunt ante
1 Iudicium, tria † principaliora signa præcedent diem illum Domini, scilicet prędicatio Euāgelij in vniuerso mundo, Matth. vigesimo quarto, sed non posuit vt signũ post quod futurum esset Iudicium statim, vt August. ad Enchyr. sed quod nō veniet finis mundi, nisi post prædicatũ Euangelium in vniuerso orbe. Discessio primùm, & reuelatio filij perditionis, idest Antichristi: Apostolus ad Thessal. 2. nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, non

veniet

veniet dies Domini, itaq; discessio, aut præcedet Antichristum, aut per ipsum fiet.

2 Nota hic † quòd discessio, vel significat discessionem ab Imperio Romano, vt cõmuniter omnes exponunt, vel, vt alij intelligunt de discessione ab Imperio temporali, & ciuili; vel de discessione à potestate spirituali, & Ecclesiastica, cuius caput est Romanus Pontifex Maximus; sed dic melius, quòd intelligitur de vtraque, & potissimum de spirituali.

3 Nota ēt hic qđ hic locus† Pauli est de difficillimis locis epistolarum ipsius Apostoli adhuc forsan non satis intellectus, nisi ab eò cui Dominus voluit reuelare, nam Epistola D. Pauli, vt ait Diuus Petrus in secunda Epistola cap. 3. carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, &c. in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ instabiles, & indocti deprauant; est ergo orandum pro intelligentia, & laborandum absque curiositate, sed potius ad ædificationem, & veram intelligentiam.

Habes ergo quod tria præcipua erunt signa futura ante Iudicium vniuersale.

4 Sed non est prætereundum dicere hic, † quis sit Antichristus, & ideò sciatur, quòd erit homo peccati, & filijs perditionis, & nascetur in Babylone ex gente Iudaica ex tribu Dan, vt ait Hieronymus cap. 11. in Danielem, & hæc bestia ostendet se tanquā sit Deus, vt ait glos. 2. ad Thes. 2. erit, ex vilibus, & despectis parē tibus ortus, quod significat verbum Danielis 11. de Anthioco Epifane, nam Anthiocus, vt multi dicunt fuit figura Antichristi, & Antichristus prius (sicut Antiochus) Aegyptum occupabit; aliqui dicunt Neronem fuisse vmbram Antichristi: igitur Antichristus erit pessimus omnium qui fuerunt, & qui facturi sunt. Scotus dist 46. q. 2. art. 2.

5 Hic Antichristus† persuadet astutijs, potentia, & fraudibus populis contra veram fidem Christi, sed Elias, & Enoch, qui dicuntur esse in Paradiso terrestri adhuc viui comparebunt ante Aduentum Antichristi, vt est prophetia Malachiæ cap. 4. qui sua prædicatione cõuertēt reliquias Israel ad legem Dei; nam, vt ait Hieronymus, eodem loco, & Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei c. 19. prædicatio Eliæ præcedet Antichristum, & prædicatio Enoch, atq; ita Antichristus seducet degentes & erit tribulatio magna: sed ignis de cęlo deuorabit eum.

6 Nota hic quod † præcedet prędicatio Euangelij, vt nemo se excusare possit; secundo comparebit Antichristus tanta plenus rabie, vt probentur electi in tanta persecutione, & qui defecerint igni æterno tradentur, & vt

osten

ostendatur debilitas dœmonum, nam tunc, & beati coronabuntur, & dęmones, & Antichristus, & sequaces in æternis pœnis detrudentur; sequetur etiā, & aliud bonum, vt ait Augustinus libro citato 20. cap. 8. quòd multi vi-
7 dentes constantiam † martyrum eo tempore ab Antichristo occisorum, suscipient fidem Christi, sicut successit in primitiua Ecclesia, quando martyrium dicebatur Seminarium Christianorū; & sic respondebunt vltima primis.
8 Nec dicendum, quòd multi deficient propter sæuitiam, quia, aderit Elias zelantissimus Propheta, † qui confortabit eos, imò persecutio paruo tempore durabit propter electos. Matth. 24.
9 Sciatur hic, quòd in fine mundi Iudæi dispersi ad prædicationē Eliæ conuertentur, imò, & gentes infestę quibuscunq; alijs nationibus, & sectis; imò sunt aliqui qui dicāt, quòd tunc omnes suscipient fidem Christi, iuxta illud, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor; sed horum opinio non substinetur ratione, nam locus Ioannis citatus cap. 20. intelligitur, quòd nemo extra Ecclesiam saluabitur, & locus Pauli, quod plenitudo gentium profitebitur fidem Christi, intelligitur quod vniuersi prædestinati seruabuntur per fidem Christi.
10 Et nota † quòd prædicatio Eliæ durabit tribus annis cum dimidio, sicut prædicatio Christi.
11 Nota hic, quòd † Antichristus occupabitur à spiritu diabolico in vtero eius matris, non quòd eum dementet, sed quod voluntatem eius implebit maxima iniquitate, & ideò vel nascetur ex incestu grauissimo, vel per maximum sacrilegium, licet hoc nulla authoritate fulciatur: itaque sufficit dicere, quòd erit pessimus, & durabit eius tempus tribus annis, & tribus mensibus, & postea Angelus Michael eum extinguet in Monte Olueti. Sotus loco citato.
12 Et licet sint prædicta signa præcessura, erunt etiam signa proxima quòd sol obscurabitur, & Luna nō dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes cęlorum mouebuntur: Marc. 13. & Lucæ 21. & tunc videbunt filium hominis venientem, &c.
13 Diuus Hieronymus cumulat quindecim signa in quindecim diebus proximis præcedentibus ante Iudicium, primùm exaltatio totius maris super oēs montes quindecim cubitis; secundū quòd omnia maria, ita in profundum prosternentur, vt vix inspici possint; tertium quod redibunt in antiquum statum; quartum quòd omnes belluę marinę eleuabunt se super mare contēdentes ad inuicem, & mugientes; quintum quòd omnes volucres super terram congregabuntur inuicem plorantes, non gu-

stantes,

ſtantes, nec bibentes; ſextum, quòd oĩa flumina ſurgent ignia ab occaſu ſolis contra faciem firmamenti vſque ad ortum corruentia; ſeptimum, omnia ſydera ſpargent igneas comas; octauum erit magnus terremotus, & omnia animalia proſternentur; nonum, lapides omnes inter ſe collidētes frangentu; decimum, omnes planetę pluent ſanguinē; vndecimum omnes montes, & colles, & ædificia redigentur in puluerem; duodecimum, omnia animalia ſylueſtria exibunt ad campos rugientia, & nihil guſtātia; tertiodecimum, omnia ſepulcra aperientur in vniuerſo mundo; quartodecimum, omnes homines exibunt de habitaculis attoniti non intelligentes, neque loquentes ſed diſcurrentes; vltimum ſignum erit, quòd omnes viui morientur, & reſurgent cum alijs prius mortuis.

Hæc ſigna affirmat Hieronymus inueniſſe in annalibus Iudæorũ, quæ tamen videntur confictã, nam Chriſtus Dominus illorum non meminit in Euangelio.

14 Sed ſciatur † quòd cum videbũtur ſigna à Domino pronunciata, licet poſſet conijcturari, conſumationem eſſe vicinam, non tamen monſtrabunt diem certũ, aut menſem; imò poſſibile eſt vt pręcedant per annum, vel etiam amplius, vt ait Sotus dicto art. 1. tamē verius poteſt dici quod dicta ſigna à Domino præcedent in eadem nocte, vel in die pręcedenti ipſum iudicium. Sotus vbi ſupra.

15 Nota hic, quòd Vallis † Ioſaphat capiat tot creaturas hoc modo. Damnati erunt circa vallem, & ſaluandi propius, quo ducentur per dœmones damnati; & beati per ſe ipſos ſtatim ibi comparebunt, ita Maioron.

16 Nota, quòd damnati † non videbunt in hoc Iudicio Chriſti diuinitatem in propria eſſentia, ſed bene illam cognoſcent per ſigna, & effectus; & ratio eſt D. Bonauenturæ, quia reprobi, nam cognitio illa prima non eſt vllo modo proportionata ſtatui damnatorum, ità tenent Diu. Auguſt. & Iſiod. quia ſi damnati viderent, ſummoperè delectarentur, quod non eſt dicendum. Hinc Iſaias cap. 26. tollatur impius ne videat gloriam Dei.

QVAESITVM LXXI.

SVMMARIVM.

1 *Sol, & Luna an verè tempore Iudicij obſcurabuntur.*

2 *Obſcuritas hæc an fiat per Ecclypſim, vel alio modo.*

3 *Alia ſigna præcedentia Iudicium.*

4 *Caſus ſtellarum, & commotio cœleſtium virtutum quomodo intelligitur?*

5 Iudi-

5 *Iudicium vbi sit faciendum.*
6 *Principaliores reproborum accusatores qui erunt.*

An Sol, & Luna verè obscurabuntur, & verè astra cadent de cęlo?

1 DIc quòd † si loquimur de articulo ipso temporis, quo Christus apparebit Sol splendescet plusquam prius ad aduentũ supremi Iudicis: Isaiæ 30. erit lux Lunæ sicut lux Solis, & Sol lucebit septempliciter in oriente, & Luna in occidente; sed si loquimur de tempore proximo Iudicio; Sol, & Luna obscurabuntur, aut per Ecclypsim, aut per retentionem radiorum, aut per interpositionem densissimæ nubis, sed diu. Hieronymus dicit quòd obscurabuntur ob præsentiam splendoris summi Iudicis.

2 Obscuritas † autem ante dicta non est rationi consonum quòd fiet per Ecclypsim, sed fiet per subtractionem radiorum; hinc sequitur, quòd Luna & sydera, quæ lucent lumine Solis, ipsa etiam ottenebrescent, vel quòd nubes densissima se interponet, & inde obscuritas, sed melior prima opinio.

3 Dicas etiam quod erunt etiam signa in terris, vt pręssura gentiũ; & in mari, vt confusio sonitus, & fluctuum, & homines arescent; & ratio est, quia deficiente lumine Solis, quod influit in hæc terrena omnia, deficiunt, siuè etiam dicas quòd arescent ob timorem præsentium malorum, & futurorum.

4 Habes ergo obscuritatem Solis, & Lunæ, & † casus stellarum, quæ cadere non possunt, quia sunt pars cœli, sed dicuntur cadere ob defectum splẽdoris, quo carebũt, & dictũ Poetæ 2. Aenei. (cadet terra, sydera, somnos) intellige, de vaporibus, vel exalationibus, quę in æstate, videntur vt stellæ cadere, sed euanescunt exalationes illæ accensę in aere, & deficiunt ad modum stellę cadentis, vt dicitur in Matth. 23. lib. 1. commotio autem cęlestiũ virtutum, dicas quòd id intelligendum est de ipso Sole, Luna, & stellis vt dictum est, quòd mouebuntur ab earum naturali esse; vel dicas quòd virtutes cęlorum mouebuntur, idest Angeli, qui videbuntur quasi trepidare ob tantam cladem, non quòd ipsi timeant, sed more nostro dixit ad exagerandam rei magnitudinẽ; hinc Augustinus ad Exichium, non solum mortales fluctuabunt sed Angeli stupebunt, idest stabunt immoti in tam terribilibus mutationibus vniuersi, sicut solẽt qui stupore corripiuntur; vel dicas quòd mouebuntur Angeli, idest cessabunt orbes mouere, & homines custodire; & hæc vocatur motio, quia ipsi requiescunt in operibus consuetis; vel dicas quòd mouebuntur Angeli ad

opera insueta eis, nempè ad colligēdas pulueres, & alia ministeria, vt supradictum est; vel dicas, quòd ordo Angelorum, qui continet virtutes mouebuntur propter maxima miracula edenda in eo tempore, nam virtutes sunt deputatæ edendis miraculis, Sotus vbi supra.

Sed antequam ad tractandum de
5 Iudicio accedamus; dic † quòd faciendum est in valle Iosaphat, iuxtà Ioel.iij. & declarat Riccard. in 4. dist. 48. Aug. 1. q.7. sed Christus sedebit in trono in aere, & ibi vicini electi, & qui magis perfecti sunt viciniores; mali verò in terra, vt vermes fętidi, & valdè lapsi in terram proni, non valentes Iudicis vultum sustinere Electi à dextris, & reprobi à sinistris, & Christus Iudex super montem Olíueti, vt infra dicetur, & iudicabit in forma gloriosa, sicut ascendit.

6 Quatuor erunt principales † accusatores reproborum, scilicet conscientia, iuxta illud Daniel cap.21. libri aperti sunt, idest cōscientiæ, & Hierem.11. Arguet te malitia tua, & Sap.4. traducēt illos iniquitates ipsorum; & Diu. Paulus 11. ad Rom. testimonium perhibente conscientia eorum; hinc Bernardus dicit, quòcunq; peccatum dicet peccatori, tu me fecisti, opus tuum sum, ego semper tecum ero. Secundus accusator erit scriptura sacra. Ioan.5. Tertius erit cœlum cum omnibus creaturis. Iob.2. Quartus erit Dęmon. Apoc. xij. erunt testes Angelus custos, secundus erit filius in disciplinatus Eccles. 41. contra patrem; tertius erit clamor pupillorum, & miserabiliū personarum; vt Sapient.5. erit, & testis Christus, & passio eius, hinc Hieronymus Crux Christi contra te perorabit.

HINC DE IVDICIO VNIVERSALI.

QVAESITVM LXXII.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium vniuersale, seù finale futurum est, & contrarium asserere est hæresis.*

2 *Particulare Iudicium quando fit.*

3 *Sententia particularis Iudicij per generale, an fiat bis?*

4 *Christus in Iudicio erit Iudex, & quatenus ei competat hoc?*

5 *Apostoli an etiam iudicabunt in Iudicio vniuersali? & num. 6.*

7 *Angeli an iudicabunt in Iudicio vniuersali? & an alij Sancti? num. 8.*

9 *Ponantur quatuor genera iudicandorum.*

10 Fa-

O 2 ter

ter manebunt?

38 *In Inferno sunt mansiones sicut in gloria.*

An Iudicium vniuersale, & finale sit futurum?

1 DIc, quòd esset † hæresis contraria assertio, itaque Dominus venturus est quādo ei placuerit post signa iam præmonstrata, iudicare viuos, & mortuos, & est articulus fidei.

Neque dicendum quod bis iudicat in idipsum, nam particulare Iu-
2 dicium † cuiusque fit in morte ipsius, quia conuenit, vt qui occultè tanquam persona particularis iudicatus fuit, ita publicè, vt pars reipublicæ, & membrum iterum iudicetur, & præmium, seù pœnas, quas secundum animam suscepit, etiam in corpore suscipiat.

3 Hic nota † quòd sententia particularis Iudicij per Iudicium generale non bis fit, sed confirmatur, & ampliatur, vt boni fruantur alijs præmijs accidentalibus in corpore, & aretiori consortio Sanctorum: & damnati crudelius cum corporibus cruciabuntur.

4 Nota hic quòd in Iudicio † erit Christus Dominus Iudex quatenus homo, & quatenus Redemptor humani generis licèt Chrysostomus dicat competere Christo quatenus Deo iudicandi facultatem, licet tota Trinitas authoritatiuè iudicabit, sed Christus iudicabit executiuè.

Nec obstat quod Dominus dicat
5 Matth. 19. quòd Apostoli † etiā iudicabunt, & Isaiæ tertio, habetur Dominus ad iudicandum veniet cū senioribus populi sui, quia iudicabunt etiam Apostoli, vel quòd iudicabunt quam sint impij culpandi, dùm vident merita Iustorū, vt habetur Matth. 12. de viris Niniuitis; vel consentiēdo quasi quod placeat eis sentētia Iudicis, vt Sapientiæ tertio, Iudicabunt sancti nationes; vel iudicabunt per honorabilem cōfessionem propè Christum, vt assessores, vel dicuntur iudicare quasi edocti in libro Diuinæ Sapientiæ quam pœnā mereantur damnati, & quod præmiū sancti. Sed hi modi sunt communes omnibus Iustis; imò primus modus potest competere etiam non Iustis, qui possunt iudicare comparatione bonorum quam pœnam mereantur reprobi; sed tu dic melius, quòd Apostoli iudicabunt, item & Apostolici viri proferendo sententiam à Christo latam, & deducendo in notitiam iudicandorum.

6 Et hoc iudicandi † priuilegium solum Apostolis concessum est, vt viris Apostolicis propter perfectum paupertatis statum, isto itaq; modo Apostoli iudicabunt, & ita intelligitur locus Hymni

in

in festo Diui Petri, (In fine mundi Iudex erit sæculi.)

7 Nota hic, quòd Angeli † non iudicabunt, sicut nec pater, quia inuisibilis est, non iudicabit licet primæua authoritas iudicandi in patre ipso resideat, vt ait Sotus loco citato, sed filius in humana natura, vt ab omnibus videatur, itaq; sancti Apostoli, & viri Apostolici iudicabunt, imò, vt Abulensi supra Matth cap. 15 q. 234. placet, vniuersi † sancti iudicabunt, qui ab Ecclesia in sanctorum numerum relati sunt; sed hęc sententia Abulensis nō videtur consona Euangelio, nam in eo dicitur vos (ad Apostolos loquendo) qui reliquistis omnia, itaque secundum Diuum Thomam Apostoli, & omnes sancti pauperes iudicabunt, & hoc cōuenit tàm sanctis pauperibus noui testamenti, quàm etiam antiquæ legis nam eo tempore fuerunt multi sancti pauperes.

Habes igitur lector quomodo Dominus iudicabit in Iudicio vniuersali, vt homo, licet Iudicio particulari quisque iam iudicatus sit, at qui omnes mortales cōparebunt ante Iudicem, sententiam vel approbationis vel reprobationis audituri.

Sed nota, quòd vt ait Gregorius li-
9 bro 26. Moral. cap. 24. † alij iudicabuntur, & peribunt, vt iniqui Christiani, quibus dicitur, exuriui, & non dedistis mi manducare, &c. alij iudicabuntur, & regnabunt, vt fideles Christiani & boni, qui reliquerunt omnia quibus dicetur exuriui, & dedistis mihi manducare &c. alij nō iudicabuntur, & peribunt vt infideles quibus dicitur, qui non credit iam iudicatus est; alij non iudicabuntur, & regnabunt, vt fideles qui præcepta, & consilia obseruauerunt.

10 Facies † Iudicis Christi erit fulgentissima, & videbitur ab vniuersis tàm bonis, quàm malis, sed boni videbunt formam serui, & formam Dei, iniqui autē videbunt formam, qua filius hominis est in claritate, in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est, nec videbunt, illam formam in qua est æqualis patri: August. 2. de Trinit. cap. 13.

11 Liber; erit † propria conscientia, quæ reddet testimonium ipsis. Paulus ad Roman. cap. 2. & Iudicium erit mentale, aut totū, aut ex plurima parte celebrandum, significationibus mentis potius quam externis vocibus.

12 Nota hic † quod tàm fideles, quàm infideles iudicabuntur Iudicio condemnationis, sed Iudicio discussionis tantum fideles Iudicabuntur; sed non est contradictio, quia dixi supra quod infideles non iudicabuntur, intellige Iudicio discussionis.

13 Angeli, neque boni, neque mali iudicabuntur quantum ad præmium, seu supplicium essentiale, neque Iudicio discussionis, neq;

Iudi-

Iudicio approbationis, aut reprobationis, & si dicit Paulus Angelos iudicabimus intellige, quoad supplicium accidẽtale, nõ quoad essentiale supplicium, iã habuerunt à principio; sed comparebunt † in Iudicio in præparatione Iudicij, vt dictum est, & in patrocinium Iustorum; mali vero Angeli, vt accusatores, & executores diuinæ sententiæ cõtra damnatos, & ipsi mali Angeli iudicabuntur Christi authoritate pro causa, quam dederunt alijs delinquendi. & sic quantum ad supplicium accidentalium, ita etiam Angeli boni iudicabuntur quantum ad præmium accidentale quia fuerint causa alijs benefaciendi.

14

15 Et hoc Iudicium vel fiet in valle † Iosaphat, qui locus est ad radices montis Olíueti, vel in aliquo loco Iudicij, quia Iosaphat interpretatur locus Iudicij.

16 Et nota quod Dominus venturus est non solum in forma humana, vt dictum est, sed cum crucis insignibus, nempè cum vexillo Crucis, & nota hic de Cruce, Eusebius in sermone, tota salus, mentis, & corporis prouenit nobis, ex Crucis Christi virtute, Chrys super Matth. Crux Saluatoris, est causa nobis totius Beatitudinis, & reliquis impro perij signis & demonstrabit se in corpore glorioso, quo præ cęteris splendidius relucebit, atque etiam monstrabit in virtute se esse filium Dei, hinc aliqui dixerunt quod Sol obscurabitur ob splendorem vultus Christi.

17 Nec dicendum quòd Christus solus veniet, sed † cum eò veniẽt omnes Angeli, & omnes animę, quæ iudicandę sunt & veniet in

18 nube seù in nubibus † quæ supernaturali virtute cõdensabuntur, nec est dicendum, quòd eleuabuntur ex vaporibus, quia tunc in resurrectionis momento motus cœli cessabunt.

19 Nec est dicendum, quòd nubes, siuè in Christo, siuè in Sanctis, (quia etiam Sancti venient in nubibus) deseruient ad substinẽdum, seu euehendũ corpus Christi, seu Sanctorum Corpora, cum ob dotẽ agilitatis non indigeant, sed propria virtute subsistẽt, sed deseruient vt fiut quodammodo sidilia honoris, gratia imò virtus Christi nubem illam substinebit.

20 Nota hic quòd † crucifixores, & reprobi, licet visuri sint Christi formam, non tamen inde consolationem, sed confusionem capient.

21 Nota quòd præcedet † ignis ante faciem Iudicis qui & mundum purgabit ante Iudicij momentum, & postea vt sententiæ diuinæ executor conuoluet, & dœmones & damnatos in Infernum, Sotus dist. 47 q. 2. art. 1.

22 Nota hic, quòd damnati non videbunt deitatem in se ipsa Augustinus 1. de Trinitate cap. 13. sed videbunt formam, qua filius

homi

hominis est.
23 Nota etiam hic quòd † damnati videbunt dotes claritatis gloriæ humanitatis Christi, & reliquas dotes, non tamen videbunt Angelos, quia sunt spiritus, nisi Dominus dispensauerit, vt eos intellectu percipiant sed per circumstantias cognoscẽt esse præsentes Angelos sed videbunt demones, quia sic Deus præcipiet.
Nota etiam quòd in articulo illius Iudicij sententiæ Iudicis cunctis apparebit iusta siuè approbatio-
24 nis, siuè reprobationis, itaq; † reprobi, tàm ipsi, quã vniuersi alij videbunt eorum peccata in eorum conscientijs imò & bona, si quæ fecerunt; sic etiam dicendũ est de iustis, quòd omnia opera eorum tàm ipsis patebunt quam alijs, & non solum opera, & verba, sed etiam cogitationes.
25 Nota etiam † quòd delicta Iustorum per pœnitentiam deleta non recordabuntur Isaias 65. ego creo Cœlos nouos, & non erũt in memoria priora, vbi Hieronymus dicit, tradentur priora mala obliuioni, quia forsitan in futuro memoria pristinæ conuersationis delebitur, succedentibus bonis æternis, ne sit pars malorum prioris angustiæ memorari.
Sed Magister sententiarum dist. 47. tenet electos recordari delicta præterita deleta, sed non contristari ob ea, imò potius gaudere, quòd inde erepti in tuto sint, sed non distinguit eam deuenire in aliorum notitiam, sed potius tenet non reuelari alijs.
Sed tamen rectius dicitur, quòd delicta Electorũ cunctis erunt aperta; ita probat Sotus loco citato ex D. Paulo 1. ad Corint. cap. 4. itaque sicut peccata iniquorum non deleta proferentur ad ignominiam, sic deleta electorum proferentur ad gloriam, hęc Sotus loco citato art. 3.
26 Nota etiam hic, quòd Iudicium vniuersale ex coniecturis fiet in momento, & discussio, quæ sententiam antecedet, mentaliter perficietur; hinc Sapient. cap. 4. Disrumpit inflatos sine voce, & illud Paul. 2. ad Roman. testimonium reddente illis conscientia ipsorum.
27 Sed sententia † Christi, potest affirmari, quòd referetur voce sensibili, vt venite, & ite: sicut placet Abulensi super Matthæũ q. 333. itaque accusatio, & examinatio mentaliter, sed prolatio sententiæ benedictionis ad dextrum Chorum Electorum, & maledictionis ad sinistram turbam damnatorum vocalis in voce fiet; hoc etiam approbat Gregorius.
28 Nota etiam hic quòd Christus iudicabit in forma sedentis in
29 sua Maiestate, & fiet † segregatio localis inter bonos, & malos, quos vocat agnos, & hędos: & vocat agnos Electos propter eorũ mansuetudinem, & obedĩetiam

aliasque

aliasque bonas qualitates,& hædos reprobos,quia capri sunt infructuosi, & superbi, & semper habent pedes ereptòs ad cacumina, quod significat superbia.

Hic nota,quòd dæmones nunquã induunt formã ouium, sed semper caprorum,vt in hac forma

30 deseruiunt strygis,vt apparet in processu in Curia Beneuentana de quinq; infamibus mulieribus ex Vrbe Ariani quarum examen fuit commissum à sacra Congregatione sancti Officij huic Curię Illustriss. Maximiano Archiepiscopo , & me Vicario Generali,vt alibi etiam fa est mentio.

31 Nota etiam † quòd erit copiosior numerus edorum idest malorum à sinistris quam ad dextris bonorum.

32 Nota etiam quòd † Iudicium, sententia Christi per verba , Ite, & venite,concludetur, idest venite summa benedictione donati, quia in Deo benedicere est benefacere, & addit Patris mei, nam Christus in quantum homo à patre potestatem recepit , & ideò patri adscribit.

33 Nota etiam hic † quod verbum (percipite regnum) intelligitur non quòd Beati possidebunt per Ius dominandi, quod est Regis Christi,& Dei; sed secundum Ius viuendi in Regno illo pacifico; itaque illud Regnum est Regis tanquam Regẽtis,& Ciuium tanquam eorum qui reguntur.

34 Nota hic † quod in Iudicio fiet mentio dumtaxat operum misericordiæ,quia dabit in se quandam facilitatem ad extinguenda peccata , vide Sot. loc. cit.

35 Post Iudicium mundus, † purgatione peracta,permanebit speciosior,sed requiescet motus, & lux Lunæ erit,vt lux Solis,& lux Solis lucebit septempliciter; elementa quæq; in suo ordine imitabuntur Cęlorum amęnitatem, terra vt vitrũ ; aqua vt Christallus;aer vt Cœlum ;ignis vt luminaria cœli; omnia animalia, & mixta ignis conflagratione , & motus cessatione interibunt, & soli Cœli,& elementa perseuerabunt. Magister dist.48.

36 Nota hic,quòd in Iudicio † erit illamet Crux eadem numero, & eadem Instrumenta passionis, & non alia repræsentatiua, & erit restaurata Dei potentia, vt congregabuntur cineres mortuorum.Riccard.4.dist.48.

Nota etiam hic, quòd post sententiam supremi Iudicis Infernus capiet animas cum corporibus,

37 quia † erunt vt lapides in pariete,vel in calcaria,vel pisces allices in vasibus ligneis salsi ad conseruandum , Riccard.4.dist.24. art.2.vel erunt, vt solent oues altera super altera,hinc psal.48. sicut oues in Inferno positi sunt. Carolus Magnus de insigni victoria contra Saxones habita superhybolicè dixit Infernus nõ capiet tot animas.

38 Sunt in Inferno † mansiones, sicut

ficut in gloria, f. in prima erunt dæmones; & cum his Pagani, ac etiam Christiani, qui deciderunt cum peccatis superbiæ, & alijs mortalibus. In secunda dæmones Archangeli, & cum his homines vxorati, & negligentes audire Missam, & adulteri. In tertia dæmones chori virtutum, & cum his malæ viduæ, & qui vouerunt castitatem, similiter vindices, & immites. In quarta Chorus Potestatum, & cum his Virgines, & complices in peccatis, & impatientes in infirmitatibus, & murmuratores. In quinta chori Principatuum, opprimentes pauperes, latrones, vsurarij, & simil. In sexta Dominationum Domini, & Principes cum earum concubinis. In septima Thronorum Reges, & Principes maiores. In octaua Cherubinorum, peruersi Doctores, & Hæresiarchæ. In nona Seraphynorum, vbi est Lucifer, mali Prælati, & simil. etiam qui vtuntur vitia contra naturam, hæc meditatio est, ex sermone Sancti Vincentij.

Absoluta tractatione de Iudicio vniuersali, & finali sententia, Hunc meditari volumus de Paradisi gloria, ad quam perducat per suam misericordiam in via fac, & parentes meos Ioannem, & Portiam, & Præsbyterũ Nicolaum Angelum, & omnes benefactores, & omnes cõsanguineos, vel affines, & omnes fideles tam amicos, quàm inimicos, dùm in gratia Dei transiuerint ex hac vita, Amen.

DE GLORIA Paradisi.

QVAESITVM LXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Paradisus est duplex, prout duplex est status hominis.*
2 *Paradisus quid sit?*
3 *Cœlum Empireum quare ita dicatur?*
4 *Cœlum Empireum in quibus alios excellit?*
5 *Principalis Sedes Sanctissimæ Trinitatis vbi sit?*
6 *Bona principaliora quæ fruuntur animæ in Paradiso.*
7 *Beatitudo est duplex, & quæ?*
8 *Anima beata quæ videbit in gloria?*
9 *Deum quomodo videbimus in gloria?*
10 *Beati qualem scientiam habebunt in gloria?*
11 *Deus quomodo videbitur in gloria?*
12 *Diuina Essentia an videbitur Limpidius ab vna, quam ab altera anima.*

Vbi sit Paradisus. & quotuplex?

1 DIc quod Paradisus est duplex, † pro ut duplex est hominis status, scilicet imperfectus, & perfectus, quò ad statū imperfectum, est Paradisus terrestris; locus amęnus in partibus Orientis, de quo Damascenus
2 ita scripsit; Paradisus † est Dei manibus in Aedem plantatus gaudii, & exultationis vniuersę prontuarium, de quo dicit sacra Genesis, quòd Deus plantauit à principio id est ad Orientem, iuxta antiquam versionem.

Sed est Paradisus Cœlestis multo illo nobilior qui homini secundum eius perfectum statum cōuenit, scilicet Empireum Cęlum,
3 quod † dicitur Empireum, id est igneum, nō à calore, sed à splendore, quòd statim factum, fuit repletum Angelis: in hunc ergo locum omnium delitiarum beatæ animæ sicut nunc gaudent, ita corporibus iunctæ transferendæ sunt ad in æternum gaudēdum tām secundum animam, & eius potentias, quàm secundū corpus, & eius sensus; in hoc Cęlo Empireo Christus residet, & est specialis Angelorum, & aliorum Sanctorum habitatio; hoc
4 † Cœlum cæteros Cœlos excellit tempore, situ, ambitu, & dignitate; hoc Cœlum repletum est Angelis statim atque factum fuit non repletione occupationis, sed quia omnes Angeli fuerunt ibi creati, ita Riccardus distinct. 2. diu. mem. vj. 11.
5 In hoc loco est † principalis Sedes Sanctissimæ Trinitatis, in hoc loco erit gloria animæ, quæ consistit in decem principalibus
6 † bonis, scilicet in clara cognitione Dei, in tota dilectione eiusdem, in perpetua fruitione, in vero gaudio, & lætitia; in abundantia omnium rerum desiderabilium; in magno honore insuperabili, in decore mirabili, in pace completa determinabili, in facietate desiderabili, & in inuariabili fęlicitate.

Sed quid dixi decem bona? imò tot ibi erunt & tanta gaudia, quę numerari, aut dici, aut cogitari non possunt.

7 Nota, hic quòd Beatitudo est duplex, vna interior formalis, scilicet vltima operatio perfecta, quæ elicitē à natura beatificabili, altera verò dicitur exterior, & obiectiua, & increata, scilicet vnus Deus, & trinus; & hæc vocatur Beatitudo obiectus, qui ex hac in tali Beato beatitudo causatur, hic diuus Augustinus in libro de doctrina Christiana, res, quæ nos Beatos, faciunt sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sed beatitudo formalis consistit in cōiunctione cum obiecto nobilissimo, hæc Augustinus.
8 Itaque Anima beata, † videbit Deum, in quem credidit, videbit Sanctos, qui tot, & tanta bona

adepti sunt; videbunt peccata quæ antea commiserunt, videbunt Infernum, ex quo prudenter euaserunt.

De prima visione dicit Augustinus in libro de Triplici habitaculo,
9 quod † Deum videbimus, vt sit in Speculo quo, & speculum, & nos, & quæ circa nos sunt intuemur; ita & per speculum diuinæ claritatis, & Deum ipsum, quantum possibile est creaturæ & nos met ipsos, & cæteros vera, & certa scientia cognoscemus; tunc inquit Augustinus, Beati videbunt quomodo vnus, ex vno natus sit, & quomodo ex duobus alter processit, &c. tunc videbunt suas animas, & virtutes infimas, & Angelicos Spiritus; tunc inquit Albertus, quòd bea-
10 ti † habebunt scientiam præteritorum præsentium, & futurorum, & plus sciet simplex vetula in illa gloria, quàm omnes Theologi, & Philosophi in hac vita; Hinc etiam Diu. August. de Ciuitate Dei 22. Deus nobis, ita erit conspicuus, vt videatur
11 † in spiritu à singulis nobis in singulis nobis, ab altero in altero; videatur à semetipso, in semetipso, videatur in nouo Cęlo, in noua terra, atque in omni, quę tunc fuerit creatura; sicut nunc Sancti Angeli vbicunq; sunt videntes Deum; & ita anima boni latronis dum fuit in Lymbo videt Deum clarè, & fuit beata; & hæc visio dicitur Paradisus, iuxta illud hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23.

12 Sed nota, quod Diuina † Essentia videbitur Limpidiùs ab vna, quàm ab alia anima, secundum maiorem, vel minorem dispositionem, videbimus ergo Deum in se, & Deum in nobis, & nos in Deo, & Deum in creaturis, & creaturas in Deo, & conclude, quòd Diuina Essentia videbitur ab omnibus tota, sed non totaliter, idest non prout est infinitè visibilis ex Compendio Theologicæ veritatis.

13 Nota etiam quòd † Deus ostēdet essentiam infinitam Beatis, & in qua primo, & principaliter consistit beatitudo, creatura autē videtur in ipsa, non nisi ex consequenti; Hinc Augustinus in lib. v. Confess. qui videt te, & nō illa beatus est, qui videt alia, & non te, non propter hoc beatus, qui videt te, & illa, non propter hoc beatior, sed propter te solum beatus.

14 Igitur primum † premium beatorum erit clara visio Diuinæ Essentiæ; erit etiam visio sacratissimæ Virginis, & tot Angelorum Sanctorum, & Sanctarum.

15 Videbunt etiam † Beati peccata, quæ in hoc mundo commiserunt, non obstāte quòd fuerint, hæc per contritionem, & confessionem deleta, nam pro hac visione non contristabuntur beati, sed potius gratias agent Deo, & gaudium habebunt, & miseri-

cordiam

cordiam Dei exaltabunt. Anselmus in lib. de similitudinibus.
16 Itaque, & gaudebunt † se bona fecisse, & mala euasisse, & quanto plura bona fecerunt, tam maiora habebunt præmia, nam in domo patris cęlestis mansiones multæ sunt, idest secundum Lyran. quòd sunt in Cœlis multi
17 gloriæ gradus, nã quãuis † obiectum beatitudinis sit omnibus, idem, nullam habens diuersitatẽ, tamen ex parte beatorum est diuersitas in percipiendo, quia aliquis clarius, aliquis minus clarè secundum maiorem, vel minorẽ habitum charitatis, hæc Nicolaus de Lyra.
18 Videbunt etiam † Beati pœnas infernales, & lætabuntur quod eas prudenter euaserunt, & ex tali visione aliquam gloriam accidentalem habebunt, quia delectabuntur videndo Dei Iustitiã, quæ visio erit in verbo, & clarè in proprio genere; hinc gratias agent Deo, eo quòd euaserunt, nec compatientur compassione, quæ est passio, quia hæc vt talis est cum pœna, & non pertingit Sanctos, nec compassione, quæ est motus electiuus, quò aliquis vellet aliquem ab aliqua pœna liberari, quia Beati nil volunt, quòd vident contrarium Diuinę voluntati, quæ vult damnatos in æternis pœnis esse, ita Riccard. in 4. dist. 53. q. 3. principalis. Et
19 sciatur quòd † Beati perfectius videbunt pœnam damnatorum, quam damnati eorum gloriam; ibidem Riccardus: vbi etiam magister dicit, quòd boni, & mali ad inuicem se videbunt vsque ad diem Iudicij, sed post Iudiciũ boni videbunt malos, sed mali non videbunt bonos; eadem distinctione.
20 Præterea animæ in Paradiso perfectè † diligent Deũ, & tunc implebitur præceptum illud, Diliges Dominum Deum tuum &c. hinc Augustinus, dicit quòd mandatum charitatis solum implebitur in patria, vbi erit perfecta charitas, itaq; complementũ huic præcepti erit in patria, sicut, & verificatio, illius dicti prophetici (suggeret lac de petra, & oleum de saxo durissimo) verificatũ est in tempore Christi Domini nostri, & non in testamento veteri; & hoc secundum loquendi modum, sacrę Scripturæ, idem dicit Magister dist. 27. tertij, & sciendum quòd etiam si hanc perfectionem nemo habeat respõdet Augustinus quod nõ rectè curritur si nescitur quo curratur, & currendum sit.
Nota quod Christiani in Paradiso
21 † habebunt aliquem ornatum, quem non habebunt Sancti veteris testamenti, nempè ornatus characterem sacramentalem intellige.
22 Præterea animæ in Paradiso habebunt gloriam perpetuam, & permanentem, & nunquam transitoriam; præterea habebunt

animæ

animæ in Paradiso verum gaudium, & veram lætitiam, quæ lætitia, vel gaudium sit nec ne in voluntate, vel in alijs potentijs, doctis relinquo examinandum, quod gaudium tamen euacuabit gaudium mundanū, inebriabit subiectum humanum nō generabit vllum fastidium, & satiabunt omne hominis studium.

23 Præterea animæ in Paradiso habebunt abundātiam omnium rerum; hinc dicitur in Psalmo gloria, & diuitiæ in domo eius. Itaque in cœlo erit abundantia omnium bonorū, primo ex obiecto, id est ex Deo, qui continet, omnia, deinde ex subiecto possidente omnia quia possidebunt Deum in Paradiso, qui est prę mium nostri laboris.

Deinde ex associatione proximorum, nam in Paradiso quilibet

24 proximus † communicabit omnia sua alteri proximo, & hoc ex charitate; ibi erit amicitia, quæ nunquam conuertetur in inimicitiam, vt ait Anselmus; deinde ex comparatione optimorum, nam in hoc mundo diuites, licet multa possideant, non tamen intelligunt omnia simul, nec propterea omnia simul diligunt, sed successiuè, & sic interrupta est

25 eorum delectatio, † sed in Cœlo Beati omnia simul intelligent, scilicet Deum, & creaturas, & omnia simul diligunt, & de omnibus simul gaudent.

26 Præterea habebunt † animæ in Paradiso honorem magnum & insuperabilem tùm per deuotionem quia erunt sancti per deuotionem, nam in totum se Deo dedicauerunt. tùm per adoptionē, quia erunt filij Dei per adoptionem, si filij ergo; & hæredes, & filio adoptiuo debetur aliqua pars hæreditatis secundum leges, ità Lyranus, tùm quia erunt Reges per exaltationem nam

27 † in Paradiso quilibet erit Rex, quia quilibet ibi regnabit, & hoc petimus, cum dicimus, Adueniat regnum tuum, secundum vnam expositionem; hinc dicitur percipite Regnum, &c. tùm quia erunt Dij per participationem, Iuxta illud. Ego dixi Dij estis; & de his potest exponi illud, idest Regum 28. Deos vidi ascendentes de terra.

28 Præterea habebunt † animæ in Paradiso decorem mirabilem, tùm in lumine gloriæ eleuante intellectum, hinc dicit Propheta, in lumine tuo videbimus lumen, quod Lyra exponit in lumine creato gloriæ videbimus lumen tuæ Essentiæ, nam intellectus creatus non potest videre lumen increatum, nisi eleuetur ad hoc per lumen gloriæ, tùm in munere gratiæ perficiente affectum, nam in gloria erit gratia consumata, & perfecta; tum in decore virtutum diuinitus collatarū, quia omnes virtutes habebunt, licet spem, & fidem non quo ad exercitium, sed quo ad præmiū,

sic etiam habebunt alias virtutes, licet non ad actus secundarios, sed quo ad actus principales.

29 Præterea habebunt † animæ in Paradiso pacem interminabilē, quia ibi erit pax Beatis cum Deo per conformitatem cum Angelis, per charitatem cum hominibus per animorum tranquillitatem, & cum se ipsis interius, & exterius per sensuum compositionem.

30 Nota hic quòd, vt ait Diu. Gregorius, quisque habet vnum Angelum bonum ad custodiam, & vnum ad exercitium.

31 Nota etiam † quòd Angeli quotidiè merentur ex eo quod ministrant animabus ad gloriam adipiscendam, & ideò gratulantur animabus in adeptione plena Cœlestis gloriæ. Vide Diu. Tho. in serm. Dom. 3. post Pentecost. vt supra cum citauimus, cum de Angelo Custode ageremus.

32 Præterea Animæ in Paradiso habebunt sacietatem desiderabilem, idest, erit in eis quies desiderij, tum quia attingent finem suū, hinc Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei; ipse erit finis desideriorum nostrorum; tùm quia à labore quiescēt, tùm etiam quia virtuosè simul viuent, tùm quia in loco Cœli consistent.

33 Præterea habebunt animæ in Paradiso vltra dictas fęlicitates, etiam fęlicitatem inuariabilem absque admistione tristitiæ, absque fatigatione, absque cessatione, & absque alteratione, ad quā gloriam perducat nos Deus per suam misericordiam: fac Domine, rogo, vt experiar, vt spero, & credo.

Nota hic, quòd post Iudicium Beati erunt in Cœlo, & damnati in Inferno nec est verum, vt

34 dixit Egidius † Romanus, & forsan alij, quòd in hoc mundo erūt illi pueri, qui decesserunt sine Baptismo, quia hoc est contra

35 Augustinus neque erunt † hic animalia, aut arbores, aut herbę, nā tunc terra circūdabitur aqua, vt in principio mundi. Sic Sol,

36 & † Luna erunt, vt in principio, idem dic de alijs elementis. Sed vt ait diu. Thom. 4. sentent. elementa habebant maximam qua-

37 litatem, terra † erit transparens, vt vitrum; aqua, vt chrystallum; aer vt radij Stellarum, aut Lunę; Ignis, vt Sol; motus cessabit; Aqua non erit fluxibilis, nec amplius extinguet ignem; non erit amplius lutū, nec ignis amplius vret; non erunt pluuiæ, nec nebulæ. Planetæ lucidissimi, Sol

38 in † Oriente, & Luna in Occidente. Non erit amplius defectus Solis, & Lunæ. Non erit amplius nox, Luna lucet, vt nunc Sol. Sol septumplex, vel septies septem, Isai. c. 30. Hinc Maior affirmat non Solem tantum, sed etiam omnes Planetas plus futuros lucidiores, nec apparębit in Luna macula, quæ nunc apparet.

QVAE-

QVAESITVM LXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Beatorum corpora in Paradiso habebunt plurima bona, & inter alia claritatem.*
2 *Beatitudo animæ in quo consi stit?*
3 *Præmium accidentale quod dicatur?*
4 *Præmium aureæ, & aureolæ quid sit? & num.5.*
6 *Aureola quibus dabitur?*
7 *Claritas corporum an omnium erit eadem, vel diuersa, & an eiusdem speciei? num.8.*
9 *Partes corporis Beati an omnes æqualiter lucebunt?*
10 *Corpus glorificatum intentius lucebit, quam Sol?*
11 *Beati in Paradiso habebunt aliquod præmium accidentale pro bonis operibus quæ fecerunt in peccato mortali?*
12 *Impassibilitas redundabit in corpore ex redundantia beatitudinis animæ.*
13 *Corpori glorioso nulla læsio inferri potest, nec ab extrinseco, nec ab intrinseco.*
14 *Elementa quomodo manebunt in corpore glorioso.*
15 *Impassibilitas quo respectu sit æqualis, vel inæqualis?*
16 *Corpora gloriosa in Paradiso habebunt subtilitatem, & qualis sit ea subtilitas, nu.17.*
18 *Corpora gloriosa habebunt agilitatem.*
19 *Cælum Empireum est decimũ respectu terræ, & primum respectu cælorum.*
20 *Cælum Empireum quid sit.*
21 *Corpora beata in Paradiso habebunt vocalem collaudationem.*
22 *Item delectabilem visionem.*
23 *Item gratam auditionem.*
24 *Item redolentem odorem.*
25 *Item cæterorum Sanctorum assistentiam.*
26 *Item suauem degustationem, & qualis erit sapor? nu.27.*
28 *Potentiæ sensitiuæ exteriores corporum glorificatorum habebunt suos proprios actus.*
29 *Præceptum Diliges Dominum Deum tuum, &c. in Paradiso implebitur, & quomodo intelligitur.*
30 *Sensus hominis in Paradiso quales erunt?*
31 *Beatus in quacunque parte Cæli fuerit poterit contemplari faciem Christi ac si coram eo esset.*

10 Fa-

32 *Obiectum beatificum sensuum corporum glorificatorũ Christus in natura assumpta.*
33 *Gloria sensuum beatorũ quid includit?*
34 *Deus omnia fecit in numero pondere, & mensura.*
35 *Delectationes Paradisi an sint corporales.*
36 *In Paradiso subtrahuntur vitia, & seruabitur integritas.*
37 *Fęmina est quid imperfectum.*
38 *Promissio in futura vita quomodo intelligitur in scripturis?*

An in Paradiso corpora Beatorum habitura sint claritatem, vel alia bona?

1 Dic quòd habebunt, † plurima bona, & inter ea, est claritas euidentissima, de qua claritate dicit Alexander cap. 3. quòd erit illa claritas generatiua caloris, sed confortans, & delectans visum, & propria comparatur claritati lapidis inspidis, qui confortat aspectum.
Itaque conclude, quòd vltra bona animæ in Paradiso (vt supra dictum est) etiam corpora habebunt sua bona; vt infra; citraq; ergo in Paradiso erunt fęlicia.
2 Et hic nota qđ beatitudo † animæ consistit in Dei visione, & perfecta fruitione, ac perfecta securitate, perpetuatione, & gaudio; & hæc dicitur præmiũ essentiale; sed est & præmium
3 accidentale, † quòd habet bonũ creatum pro obiecto, & dicitur accidentale non quòd sit accidens, quia hoc modo etiam beatitudo animæ diceretur præmiũ accidentale, quod est falsum, sed quia tale præmium non est de ratione beatitudinis ipsius animæ, nam sine ipso, anima esset verè beata; sed redeamus ad rem propositam, dic quod beatitudo corporis pertinet ad præmium accidentale ipsius animę, sed sibi est essentiale; est & aliud
4 præmium quod dicitur † aurea, aliud quod dicitur aureola; & aliud quod neutrum est. Aurea est pręmium substantiale Beatorum, & dicitur aurea per similitudinem, vt datur corona victori; sic datur aurea in patria victoribus in Ecclesia militanti; & quia corona est circularis, & ideò perfecta, sic præmium substantiale in Paradiso ita perfectum est, vt nihil ei addi possit, nisi accidentaliter; & sicut corona finit in punctum, à quo incepit, sic beatus per hoc præmium, quod aurea dicitur, coniungitur Deo, à quò exiuit per creationẽ.
5 Aureola verò † est gaudium de operibus factis à beato habentibus rationem victorię, per quod gaudium apparebit in corpore decor quidẽ, qui declarabit gaudium interius.

6 Itaque † aureola dabitur quibuscunque priuilegiatis priuilegio victoriæ excellentis, sed aurea est maius præmium, & hoc præmium debetur Virginibus ob victoriã carnis, & martyribus ob victoriam mundi, & doctoribus ob victoriam diaboli; sed redeo ad corporis claritatem, vbi nota

7 quòd claritas † corporum non erit eadem omnium corporum, sed differens secundum differentiam gloriæ, quam habebunt animæ. Ita Riccardin 4. dist. 49. nam sic ut anima in Paradiso habebit maiorem gloriam, quam non habet alia anima ob merita, ita erit claritas corporum: hinc dicitur quòd differt stella à stella in claritate.

8 Et hic nota, † quòd claritas, & lux corporis glorificati non est eiusdem speciei cũ luce elementari, nam lux elemẽtaris est quędam immitatio illius lucis.

Nota etiam quod iusti fulgebunt sicut Sol.

9 Nota etiam † quod non omnes partes corporis æqualiter lucebunt, sed secundum proportionẽ membrorum in hac vita, & secundum proportionem, quam requirit pulchritudo corporis, nam hic plus lucent oculi, quàm aliæ partes, sic erit in corporibus gloriosis in Paradiso, vt est etiam in corpore mistico Ecclesiæ, vbi sunt alij alijs clariores, & sapientiores, vt Prælati, & Doctores.

10 Nota etiam, quòd (vt ait Riccardus loco citato, † corpus glorificatum fortius, & intentius lucebit, quam lucet Sol, & erunt cicatrices martyrum lucẽtes nõ deformitatem, sed dignitatem afferentes. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei.

Nota etiam, quòd Beati in Paradi-
11 so habebunt aliquod præmium accidentale pro bonis operibus, quæ fecerunt in peccato mortali, sed intellige hoc benè, quòd duplex est gaudium accidentale in Beatis, vnum, quod recipitur à Deo per suam pijssimam misericordiam propter aliqua bona opera, quæ facta sunt in hoc mundo; alterum est, quod ipsemet Beatus in se habet, dum recogitat bona opera, & de illis sibi cõplacet, & hic secundus modus dicitur aliqualiter præmiũ, licèt quicquid habent Beati in Paradiso à Deo habeant itaque gaudebit Beatus de bonis operibus, quę fecit in peccato mortali, quia illa fuerunt dispositio ad pœnitentiam: habebunt ergo corpora in Paradiso claritatem.

Præterea habebunt impassibilita-
12 tem; vbi notandum quod † impassibilitas redundabit in corpore ex redundantia beatitudinis animæ, quæ prohibet omnẽ passionem cõtrariam perfectioni, & hæc impassibilitas erit ęqualis omnibus corporib⁹ beatorum quantum ad exclusionem passibilitatis, Riccardus vbi su-
13 pra; & est quia † nullo intrinse-

co,

co, vel extrinseco potest inferri læsio corpori glorioso, nam in eo vt ait Bonauentura in 4. ele
14 menta † manebunt quantum ad conseruationem mixtionis, & quantum ad ministerium caloris vitalis per corpus, non quantum ad alias operationes causantes dissolutionem, atq; ita impassibilitas erit æqualis omnibus in priuatione læsionis, sed non erit æqualis in positione. sed secundum meritorum differentiam beatitudinis, vt ait Riccardus, vt dictum est supra de dote clarita-
15 tis, & licet † impossibilitas erit inæqualis in positione scilicet, quantum ad id quod ponit, tamen erit æqualis in eodem corpore, & in omnibus membris, vt ait Riccardus dist. 49. & ratio esse potest, quia omnes partes corporis sunt subseptibiles huius qualitatis, & licet Gregorius dicat, necesse esse corrumpi, quod palpatur; id intellige de eo, quod palpatur relicto in suis naturalibus, & secundum primas qualitates actiuas, vel passiuas, vel causatas ab eis; ita Riccardus, quia actio contradictionis elementorum in corpore ablata est diuina virtute.

Itaque corpus gloriosum in vlla sui parte poterit lædi, etiam si gladio ferretur, etiam si in igne Inferni poneretur.

16 Præterea corpora gloriosa † in Paradiso habebunt subtilitatem, qua poterunt cum corpore non glorioso existere, & resistere, & hæc subtilitas erit æqualis in omnibus partibus corporis, & corpus permanebit in eodem robore, & corpus gloriosum poterit penetrare corpus non gloriosum sicut non è contra; itaque potest corpus gloriosum se præbere tangibile, & non tangibile, vt ei placebit.

17 Et nota † quod licet subtilitas futura sit æqualis in omnibus corporis partibus, intellige, pro ut requirit corporis armonia, vt aliqua pars sit rarior, alia dēsior, sed omnes partes erunt subtiles, & constituēt corpus proportionatum.

Præterea habebunt corpora glo-
18 riosa † etiam agilitatem, idest quòd mouebuntur absque resistentia, & quia corpus obediet animæ ad nutum quantum ad motum localem, vt dixit Isaias cap. 40. & docet Nicolaus de Lyra ibidem.

Præterea habebunt animæ in Paradiso vltra prædicta bona, etiā, & alia bona quę faciunt ad gloriam accidentalem, & primum bonū est habitatio in Cœlo Em-
19 pyreo, † quòd Cœlum dicitur decimum Cœlum respectu terræ, sed respectu Cęlorum dicitur primum, & summum Cœlū, locus Angelorum, Regio viuentium, & dicitur Empyreū à pijr, quod est ignis non ab ardore, sed à splendore, quia hoc Cœlum influit lumen super Cęlum

chriſtallinum ei proximum.
Rabbanus vtens verbis Baſilij de Cœlo Empyreo dicit, deſcribens
20 illud, quod † eſt corpus primum natura ſimpliciſſimum de corpolentia habens minimum, quia ſubtiliſſimum, primum mundi firmamentum, quantitate maximum, qualitate lucidum, figuratione perſpicuum, ſitu locali ſupremum, ſpirituum, corporum viſibilium, & inuiſibilium contentiuum, Dei ſummum habitaculum licet Deus vbique ſit, tamen dicitur præcipuè eſſe in Cœlo, quia ibi præcipuè relucet eius virtutis operatio.
21 Præterea habebunt † in Paradiſo corpora beata vocalem collaudationem, nam beati collaudabunt continuè Deum, à quò bona receperunt æterna; hinc dicitur exultationes Dei in gutture eorum, ſuper quo verſu Lyranus dicit, tunc in corporibus glorioſis erit laus vocalis ſecundum Doctorum ſententiam, itaque collaudabunt Deum vocaliter propter eorum creationem, propter eorum glorificationem, & propter eorum gratificationem.
22 Præterea habebunt † corpora in Paradiſo delectabilem viſionē, itaque eis corporalis, & delectabilis viſio, quæ inter cætera conſiſtet principaliter in viſione Chriſti humanitatis in viſione Beatę Virginis, in ſocietate tam felici Angelorum, & Beatorum, & in claritate cœleſtium locorū, & quoad primum, Beati videbūt corpus Chriſti in quocunque loco cœli Empyrei fuerit, vt ait Riccardus quam viſionem nullū delectabile ſuperat, tunc ſatiabitur oculus viſu, vt ait Eccleſ. 1. tunc quidem beatus ingredietur ad cognoſcendam diuinitatem, & egredietur ad cognoſcendam humanitatem, & Paſcha inueniet, quia per humanitatem ſaluatus eſt. Ita Nicolaus de Lyra in Ioan. 10.
Præterea habebunt corpora Bea-
23 torum † in Paradiſo auditionē gratam, id eſt dulces voces collaudantes Deum, quæ audientur, & illa melodia cauſabitur ex vocum ſonoritate, ex numeroſa congregatione cantantium, & ex dictorum varietate, quæ omnia magnam afferent delectationem auſcultantibus, nec mirum, quia ibi ſenſus erunt cum omnibus ſuis actibus, itaque ibi erunt omnes Sancti canentes, & laudantes Deum, & dulcem perſonantes muſicam.
24 Præterea habebunt corpora ſanctorum in Paradiſo redolentem odorem, itaque in corporibus glorioſis erit odor in ſua vltima perfectione à nullo cōtrario impeditus, qui principaliter erit ex Chriſti ſuauiſſima fragrantia, ex Virginis præſentia, ex cæterorum Sanctorum aſſiſtentia, & ex ſui ſubſiſtentia; & quoad Virginem Beatam ſicut poſt filium

ſpe-

specialem habet gloriam, ita specialem emittet odorem suauitatis, specialem ex ea cæteri sancti consequētur delectationem. Habebunt etiam ex cæterorum
25 Sanctorum assistentia, nam † sancti singulari odore redolebunt, hic plus, & ille minus, secundum gradus gloriæ: recipient etiam odorationem ex sui subsistentia, nam quilibet Sanctus dulciter sentiet odorem corporis sui, & de se ipso gaudebit.
26 Præterea corpora † Sanctorum habebunt in Paradiso suauem degustationem, de qua Riccardus dicit, quòd nō erit in aliquo actu deseruiente nutritiuè, sed tantummodò in quātum est apprehēsiuus saporis, scilicet quòd in lingua Beatorum erit sapor qui maximè competit perfectioni illius sensus conseruabitur, & in perpetuum incorruptibilis, qui sapor, aut fiet à Deo per creationem, aut causabitur ex beatitudine animæ.
27 Et nota quod † talis sapor erit in gustu Beatorum qualis esse posset melioris cibi, qui excogitari possit, hæc ex speculo Magistri Reginaldeti de retributione.
Nunc volumus videre de actibus sensuum Beatorum, quia vt dictum est, sensus erunt in suis actibus in Paradiso, & volumus meditari de singulis sensibus corporis Beati, vltra, quæ supra tetigimus.
28 Et primo notandum est in communi, quòd omnes † potentiæ sensitiuæ exteriores corporum glorificatorum habebunt in Paradiso suos proprios actus, ita Episcopus Coronēsis in libro de delitijs Paradisi in Principio, de qua conclusione Augustinus in libro de perfectione Iustitiæ, & diu. Thomas in 2.2. q.44. art.4.
29 ad secundum dicunt quòd † in Paradiso implebitur pfectè præceptum. Diliges Dominū Deum tuum, &c. quia in actu totum cor hominis in Deum fertur, & ista est perfectio Paradisi.
Vbi nota, quòd præceptū hoc potest intelligi de necessitate præcepti, vel de perfectione consilij, vel de perfectione comprehensoris; si enim intelligatur vt cor hominis semper feratur actu in Deum, hoc pertinet ad perfectionem comprehensoris; si autem intelligatur, vt nihil admittat, quod sit contrarium diuinæ dilectioni, hoc est de necessitate præcepti, si autem vt abijciat ea, quibus licitè possit vti, hoc est de perfectione consilij: ita diu. Thomas in libro de perfectione vitæ spiritualis cap.5. & seq.
Est, & etiam ratio diu. Thomę in 4. sententiarum dist.44. q.2. art.1.
30 vbi concludit, quòd sensus hominis in Paradiso erunt in actu simpliciter & non minus, quàm in hoc mundo. imò Augustinus in Epistola ad Dioscorum dicit, quòd in Paradiso sensus corpo-

rei

rei perficientur in suis operationibus, & hoc est clarum.
Imò per species diuinitus infusas percipient multa obiecta, quæ non erunt, imò operationes sensuum Beatorum non poterunt impediri, neque distantia loci, neque differentia situs; itaque
31 in quacunque parte Cœli fuerit Beatus, poterit contemplari faciem Christi, ac si esset coram ipso, imò operationes sensuum in Paradiso erunt perfectę intensiuè, & extènsiuè.
32 Nunc dico † quod obiectum beatificum sensuum corporum glorificatorum est Christus in natura assumpta, & hoc est verum, sicut etiam intellectus habet in Christo præmium essentiale, ita etiam habebant in eodem præmia accidentalia.
33 Sed nota, quod sensuũ † gloria Beatorum includit delectationẽ vniuersalem, & excellentem, in quo aliquo modo superabimus etiam Angelos, probat hoc Rimertinus Episcopus Coronensis in libro de excellentia, & gloria sensuum: tractatu tertio.
Et hæc delectatio sensuum Beatorum erit maxima, & includit maximas delectationes, non tamen immoderatas, quia Deus
34 omnia fecit in numero, pondere, & mensura, & hæ delitiæ futuræ vitæ, quas expectat Christiana pietas lõgè digniores sunt, quàm illæ, quas somniantur infideles, & nostræ veræ sunt, illorum autem vanæ.
Sed notandum etiam, quòd licèt
35 largo modo loquendo, delectationes Paradisi possunt dici corporales in quantum concernunt sensitiuas potentias, quæ in corpore sunt, tamen propriè loquẽdo non dicuntur corporales, sed propriè loquendo, dicuntur spirituales, nam corpus quod resurget, non dicitur corporale, nec animale, sed potius spirituale; non quod corpus conuertatur in spiritum, sed quod corpus resurgens non erit amplius animale, quod habeat actum virtutis generatiuè, & nutritiuè, sed erit spirituale, quia delectatio sensuum corporis consistet tantum in immutationibus spiritualibus & intentionalibus; hoc habetur ex prima ad Cor. 15.
Itaque delectatio illa non erit carnalis, & licet vterque sexus resurget, non erit ibi libido, nam ante peccatum Adæ nudi erant, & tamen non confundebantur vir,
36 & mulier, quia † in Paradiso subtrahentur vitia, & seruabitur integritas.
Et licet posset obijci, quòd femina non resurget, quia habetur ad Ephesios 4. donec occurramus
37 in virum perfectum, & quia † fœmina est quid imperfectum, vt habetur ex primo Physicorum, vbi dicitur, quod materia appetit formam, sicut imperfectum perfectum, & fœmina virum, & secundum doctrinam Boetij

non

non conuenit imperfectio status Beatorum; dic quòd vt declarat diuus Thomas loco citato diui Pauli; ille locus intelligendus est, quòd tota Ecclesia est perfecta, quasi vnus vir, nec dicitur quòd quasi omnes, qui in aera obuiā Christo exibimus erimus sexus virilis tantum, sed hoc dictum est ad distinguendum perfectionem Ecclesiæ; adde quòd fęmina dicitur imperfecta non per recessum à perfectione naturæ, & sic erit in Paradiso, sed per accessum ad perfectionem naturæ.

38 Habe regulam generalē † quod vbicumq; in scripturis adest promissio in futura vita, id est spiritualiter intelligendum, & non carnaliter; his pręmissis venimus ad quæsita particularia circa sensus corporis.

QVAESITVM LXXV.

SVMMARIVM.

1 *Oculi Beatorum in paradiso habent proprium actum visionis.*

2 *Distantia non impedit visionem Sanctorum, & quomodo? & num. 4. & 6.*

3 *In paradiso reparabitur status naturæ amissus per peccatum.*

5 *Omnes Sancti videbunt Christum in decore suo.*

7 *Dictum Diui Gregor. in 4. mora, super ap. 28. Iob quomodo intelligitur.*

8 *Visus Beatorum an erunt corporaliter, & an possint impediri?*

9 *Corpora Beatorum qualia erunt?*

10 *Visio Beatorum multum confert ad magnitudinem beatitudinis.*

11 *Delectatio visus in quo consistet?*

12 *Visibilia omnia propter consolationem hominis erunt pulchriora, & delectabiliora.*

13 *Lumen oculorum corporum Beatorum quale erit?*

14 *Beati videbunt non solum plures species rerum, sed plures res eiusdem speciei.*

15 *Beati varios gradus Cœlorum videbunt in eadem specie.*

16 *Oculi Beatorum acutissimi in videndo, & num. 18.*

17 *Sententia Diu. Augustini de modo videndi Deum in paradiso.*

An

An oculi Beatorum habituri sint in Paradiso proprium actum videndi, non obstante excellentia obiecti visibilis, vel distantia?

1 Dic quòd habent oculi Beatorum † in Paradiso proprium actum visionis sensibilis, Augustinus cap. 29. in lib. 12. de ciuitate Dei, vbi dicit, quòd durum est dicere, quòd Sancti in Paradiso cum corporibus non possint videre; ergo oculi Beatorum suo fungentur munere.

Nec impediet distantia, nam San-
2 cti, qui erunt in Cœlo † Empyreo semper videbunt ipsum Cœlum, siuè per species à corpore Christi acceptas, siuè infusas in qualibet distantia; vnde habetur Iob 36. vnusquisque intuetur procul, nec impediet obiecti excellentia, vt supra dictum est, hinc sequitur quod Sancti videbunt ad libitum in Paradiso.

Nec etiam est credibile, quòd ibi non videant ea quæ hic in hoc mundo intueri potuerunt, vt vi-
3 dendo flores, aut gemmas † quia in Paradiso reparabitur status naturæ amissus per peccatum, nam his delectationibus non carebunt, non quòd ibi erunt huiusmodi terræ nascentia, sed videbunt talia similia per species infusas etiam quod non existent obiecta talia visibilia, & id videtur innuere sponsus, idest Christus, in Cant. 2. flores apparuerunt in terra nostra.

4 Et hanc visionem † oculorum in Paradiso nil poterit impedire, neque distantia, vt alibi etiā dictum est, neque differentia situs, neque interpositio quælibet aliorum corporum, neque quoduis aliud impedimentum.

Itaque Dominum nostrum Iesum
5 Christum omnes Sancti in decore suo videbunt, nec opus est, vt vel appropinquent, vel mutent locum, & quod eodem modo aspiciēt terram de longè, & hoc vel inerit eis ex specie à corpore Christi decisa, vel per speciem à Deo infusam ad quantamcunque distantiam, & ita dicendum de visione horum inferiorum.

Atque hoc modo etiam Beata Virgo cernit in hoc mundo deuotos suos, nihil impediente distantia loci, & ratio est, quia Deus potest creare in pupilla oculi beati actum videndi, existente visibili in quacunque distantia finita tamen: itaque potentia diuina supplet vicem causæ secundariæ effectiuè. Imò dic, quòd per species infusas potest oculus beatus videre ea, quæ nunquam extiterunt, quāto magis, quæ sint, etiam distantia valde.

6 Adde, quòd † oculus beatus potest videre, in quacunque distantia situs, quamcunque partem Christi, & hoc est, iuxtà illud

desíde-

desiderium pauperum exaudiuit Dominus,& non sunt fraudati à desiderio suo.Psal.20.27.& quia Christus est totus desiderabilis, Beati desiderant videre, & vidēt Christum, & omnes eius partes; nec necesse est,vt descendat de excelso Cœlo vbi est,nam est factus excelsior Cœlis, loco, & dignitate,vt ait glosa,ità quòd nulla pars Cęli est eò superior, quia situs nō impedit visionem,& sic Sancti vident Christum ,& omnes eius partes, nec est necessè, vt proprius accedant,& hoc vel per speciem infusam , vel ab obiecto decisam .

7 Nec obstat, quòd † dicit diuus Gregorius in quarto moralium, super cap.28.Iob scilicet,in cœlesti patria patebit corporalibus oculis ipsa etiam inferior armonia;vnde videtur sequi,quòd peimmutationem factam ab obiecto ad situm eius requisitum,naturaliter Sancti videre possent Christum,vel eius partes per trāsparentiam; nam hoc non valet, licet enim Dyaphanum possit in omni sui parte videri,tamen non potest esse obiectum visus in omni sui parte vbicunque visus, vel obiectum existat;nam si volo videre chrystallum secundum aliquam partem oportet, vt vertatur ad oculum; Præterquam quid locus Gregorij habet multos intellectus, variasque explanationes.

8 Conclude quod visut † Beatorū vident corporaliter, nec impediuntur situ; ita vt per dorsum videre possint pectus, & per faciem possint videre occiput, & & sic videbunt Sancti Christum, imò corpus Christi erit obiectum sensibile summę delectationis, & beatitudinis oculis proprijs, & vident per omnes sui partes, & delectantur.

9 Nota hic quod corpora Beatorum † erunt ibi gloriosa tersa,& polita,ita quòd Christus quando vult potest videre faciem suam in corporibus gloriosis tanquam in speculo, imò quilibet Beatus in Paradiso potest videre se ipsum corporaliter, ita etiam, & Christum.

10 Nota etiam hic, † quòd hæc visio Beatorum multum conferet ad magnitudinem beatitudinis, vnde habetur Isa. 65. obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, quia abscondita sunt ab oculis nostris, & infra; Exultabo, & gaudebo in populo meo; & infra; Et non audietur vox planctus, & clamoris.

11 Et hæc delectatio † visus consistet tùm ob meliorationem visibilium, tum ob oculorum acumen, tùm ob varietatem obiectorum, tùm etiam ob præsentiam ipsius Dei.

De primo dicit Isaias 30. Erit lux Lunę sicut Solis,& Solis lux septempliciter. Adde huic, quòd corpora Beatorum lucebunt septies magis Sole; vt ait diuus Thomas

mas in 4.dist.46.quæst.2.vel dic quòd lucebunt quantum Sol.

12 Et omnia † visibilia propter cõsolationem hominis erunt pulchriora,& delectabiliora, quàm fuerint in statu innocentiæ, & hoc erit in augumento lucis in claritate colorum & in proportione corporis, & partium exclusa omni deformitate.

13 De secundo, quia † lumen oculorũ erit auctius,& varietas obiectorum ità multiplex, vt nil supra: hæc omnia augebit mirum in modum, ita vt exprimi non possit, Dei præsentia.

14 Adde quòd Beati † non solum videbunt plures species rerum, sed etiam plures res eiusdẽ speciei, quæ omnia delectabilia sunt,atque etiam saltem per species infusas videbimus etiam absentia,ac etiam distantia; videbimus Solem in sua rota & omniũ corporum Beatorum glorificatorum pulchritudinem, & in corpore glorioso resplendebit anima,quæ se habet ad manifestandum corpus, sicut se habet facies ad manifestanda cætera membra.

15 Videbimus etiam † varios gradus colorum, qui sunt in eadem specie multi,& multæ; videbunt Beati etiam in suis proprijs corporibus,& ad inuicem & sis delectabuntur in multitudine specierum.

Et quod augebit delectationem videbimus in Paradiso varias res specie,& numero simul, non solum successiuè.

16 Adde quòd † Beatorum oculi erunt acutissimi in videndo ità, vt superent etiam Aquilam, & omnia animalia, imò videbunt etiam incorporea.

17 Modus autem † videndi Deum in Paradiso erit (quòd dicit Augustinus valdè credibile, vt per corpora quæ gestabimus,& quę conspiciemus clarissimè videamus Deum vbique præsentem, vt videmus corpora Cęli noui, & terræ nouæ, ita enim Deus erit conspicuus,vt videatur à singulis,& in singulis nobis, & rationem huius diuus Thomas assignet in quarto dist.49.q.2.art.2. quia inquit corpora omnia tunc erunt repleta tanta Dei influentia,vt homo in eis delectetur diuina visione, & præcipuè in Christi corpore lucidissimo.

Habemus igitur quomodo Beatorum oculi in Paradiso acutissimè videbunt,& mirabiliter supra quam dici potest delectabuntur, quæ omnia pertinent ad sensum visus; vtinam ego miserrimus peccator Antonius; attamen pęnitens illic videar: ibi Ioannem, & Portiam parentes meos videbo, ibi Ioannem Blasium Sacerdotem videbo;non iam peregrinantem, non iam ab alijs funere elatum, non hominum animos męrore, ac commiseratione cõmouentem, non hic per proximo tuo,ac amicis,anxiè laborantem

tem sed clarum, insignē, & sublimem qualis sæpè mihi in somnis visus es, ò nepotum charissimè, & nepotum amantissimè, siuè cupiditate mea, siuè ipsa veritate hanc mihi formam repræsentantem.

NVNC DE SENSV Auditus.

QVAESITVM LXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Sancti in Paradiso habebunt proprium actum sensibiliter sentiendi.*

2 *Sancti in Paradiso non solum audient per immutationem factam ab obiecto, sed per species infusas.*

3 *Sancti in Paradiso audient iucundissimum cantum.*

4 *Neque distantia, neque situs poterit impedire auditum Beatorum.*

5 *In Paradiso habebunt Sancti aerem, vt possint formare vocem.*

6 *Cœlum non recipiat peregrinas impressiones.*

7 *Cœlum recipit lucem.*

8 *Beati audient, audibilia gratissima.*

9 *Christus loquetur dulci cum Sanctis suis.*

10 *Beati in Paradiso audiunt Iesum loquentem, & canorum.*

11 *Sensus nostri in Christo beatificantur.*

12 *Christus Dominus semper cātabit dulcissima Cantica.*

13 *Aureola datur pro aliquo magno opere virtutis.*

14 *Anima in Paradiso habebit obedientiam Corporis per dotem spiritualitatis.*

15 *Non impedientur in Paradiso audientes à continuo cantu.*

16 *Sancti in Parad so non habent volubiles cogitationes.*

17 *Cantus Christi non semper durat suauissimus sed aliquando loquitur voce submissa, & plura.*

18 *Linguæ Beatorum loquuntur in Paradiso, sicut Adam loquebatur ante peccatum.*

19 *Linguæ Beatorum assimilantur cimbalis benè sonantibus.*

20 *In Paradiso non erit superfluitas humorum.*

21 *In Paradiso vocis erunt claræ super naturaliter.*

22 *Vox vnius sancti reuerberabit in aliam vocem alterius Sancti.*

23 *Sancti perfectè sciunt consonan-*

nantias musicas.
24 *In paradiso erit suauitas.*
25 *Sensus auditus in Paradiso perfectius erit.*
26 *Sancti in Paradiso possunt plures voces audire.*

An Sancti in Paradiso audiant, secundum corporales aures verè, & non metaphoricè?

1 DIc vt infra, quod Sancti in Paradiso † habebunt proprium actum sensibiliter audiendi per aures, aliter si esset, posset improperari illud; aures habent & non audient; & ratio est, quia si in Paradiso est laus vocalis, frustra esset si nō esset auditus; iuxta illud Ecclesi.32. vbi non est auditus non effundas sermonem; & quòd in patria erit laus vocalis, est diu. Thomæ in quarto dist.44. quæst.vbi dicit, laus vocalis erit in Patria, & diuus Augustinus idem dicit super Psalmo 149. quòd corda, & linguæ non deficient laudare Deum; hinc etiam dicit diuus Thomas in 2.2. q.13.artic.4. quòd credibile est, post resurrectionem dānatis futuram vocalem blasphemiam, sicut in Sanctis erit vocalis laus, imò dicit in quodlibeto decimo, quòd beatis in Paradiso erit risus, quod est proprium hominis; & Iob dicit octauo donec impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo, & Luc.6. Beati qui ridebitis.

2 Nota tamen † quod Sancti in Paradiso audient non solum per immutationem factam ab obiecto, sed etiam per species infusas, nam est verisimile, quòd beati in Paradiso habebunt iucunditatem auditus amissam in statu innocentiæ, imò augebitur maximè non obstāte quòd Sanctis in Paradiso meliora, & iucundiora conferentur.

3 Itaque verisimile est, quòd Sancti in Paradiso † audient iucundissimum cantum auium, quas audiuit Adam in terrestri Paradiso, & licet in Paradiso cęlesti nō sint futuræ aues, per species infusas audient, & delectabuntur, cùm talis delectatio non importet defectū, aut naturæ, aut moris, nec erit Beatorum sic audientium falsum iudicium.

4 Dic etiam, quòd neque † distantia, neque situs, aut interpositio corporum, vel intersticidium poterit impedire auditum Beatorum.

5 Nota hic, quòd Sancti in Paradiso habebunt aerem interiùs sufficientem, vt naturalibus instrumentis possint formare vocem, nam resurgentes corpora non habebunt vacua, sed habebunt aerem sibi naturalem semper in eis manentem qui densabitur, & rare fiet secundum necesse fuerit ad formandam vocem & ibi non erit aliqua alteratio noxia, quia corpora Sanctorum erunt impassi-

passibilia. Et hæc quò ad vocē; similiter dic de auditu, quòd erit in Beatis realiter contra naturales rationes, quæ volunt Sanctos surdos,& mutos, quod sicut est falsum sic etiam absurdum, & inconueniens dicere.

Nec potest obijci, quòd in Cęlo nō sit auditus quia non potest esse ibi sonus, quia per Aristotelem in secundo de anima. sonus est
6 vox animalis, & quia † Cœlum non recipit peregrinas impressiones vt habetur in 1. & 2. de Cœlo, neque sonum, qui est peregrina impressio, aut possunt obijci aliæ rationes naturales, quia Cœlum recipit lucem, quæ
7 est peregrina impressio,& habetur in libro de somnio Scipionis, quòd in Cœlo est mirabilis, & suauissimus sonus, hinc sequitur Cœlum esse actum recipere sonum, sicut lucem præsente agēte ad hoc idoneo,& volente; ergo poterit adesse aer repercussus in aure corporis glorificati, & fieri auditus, nec ille aer est corruptibilis propter corporis glorificato impassibilitatem.

8 His adde quòd Beati † audient gratissima audibilia inter quæ pręcipuus est Dominus Iesus formans vocem suis naturalibus organis,& de hoc gaudio habetur in Psalm.50. Auditui meo dabis gaudium,& lætitiā, & in cant.5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est; & alibi Psal. Alloqui Domini in Paradiso. Eloquia tua super mel ori meo.
9 Et ita dulciter † loquetur Christus suis Sanctis, vt in hoc mundo si audirent, deficerent, nisi Deus per miraculum conseruaret, vt conseruauit Paulum in raptu: hinc habetur in Ioan.c.16. Multa habeo vobis dicere, scilicet in Cœlo, quæ non potestis portare modo, s. in terra; hinc habetur illud Io.7. nunquam sic locutus est homo.

10 Imò Beati † in Paradiso non solum audient Iesum loquentem, sed etiam canentem, vt habetur in legēda D. Agnetis, vbi habentur hæc verba, de Christo eius sponso; cuius mihi organa modulatis vocibus cantant.

Imò adest etiam ratio, quæ est hęc
11 quòd in Christo omnes sensus nostri beatificabuntur præmio essentiali, ergo & auditus beatificabitur, & quia præmium essentiale debet constitui in excellentissimo obiecto, & tale erit vox formata per organa Christi, quæ vox etiam si bassa sit, erit dulcissima: itaque & dulcissimè loquetur,& dulcissimè canet ad beatificandum suos Electos, & quòd Sancti etiam cantabunt; clarissimum est, tam ex hymno dedicationis Ecclesię, & ex Psalmo, cātabimus, & psallemus virtutes tuas: erit ergo dulcissimus cantus Christi, & ex meliori organo, & ex perfectiori arte cantandi.

12 Adde his, quòd† Dominus Iesus

semper

semper cantabit dulcissima armonia,& quòd prouocabit omnes ad cantandum;hinc habetur quòd Seraphim sine fine clamabant,idest cantabant diuinas laudes dicẽdo. Sanctus Sanctus &c.

Nota hìc,vt etiam dictum est supra,quòd Sancti in Paradiso vltra auream, quod est præmium essentiale,& hoc præmium correspondet charitati,& qua participat ipsum Deum,clarè videndo, securè fruendo, & perfectè delectando; & in hoc anima dicitur Regina pacificè possidens multa regna fruendo: habebunt
13 etiam aureolam,†quòd est prȩmium accidentale, quod datur pro aliquo arduo opere virtutis, vt pro martyrio virginitate, & illo cui illata est vis,vt in Lucio, cui duplex debebatur; hinc dicitur 32.q.5.nõ inquinare corpus, nisi de consensu mentis,& diuus Antoninus, Virgo prostitui potest, adulterari non potest, vbicunque templum Dei est & diu. Augustinus,Non aufert sanctitatem,violentia libidinis aliena, aut doctrina,& aurea correspondet merito secundum mensuram charitatis, & aureola secundum speciem operis, diuus Thomas in 4.dist.49.q.5. art.5. concludе ergo,quòd præmium essentiale auditus erit Christus Dominus per allocutionem, & cantum sine cessatione. Palma est etiam præmium accidentale,quod datur pro bona voluntate, etiam nõ sequuto opere,vt in SS. Martino, & Francisco.

Nec dici potest,quòd erit laxitudo ex vtraque parte, quia inde fu
14 giet dolor,& gemitus, vt habetur Isa. 35. 40. & 51. nec facit quòd auditus Beatorum intentus ad Christi allocutionem non poterit habere actuum aliorum delectationem, tanquam intentus pluribus, quia hoc est apud nos,vbi corpus non obedit perfectè animæ,sed in Paradiso anima habet obedientiam corporis per dotẽ spiritualitatis,ita quòd poterit simul adimplere per corpus suos appetitus.

15 Itaq; Christus non impedietur, nec impedientur audientes ob hoc continuum delectabilem cantum.

16 Nec dicendum est,quòd hic cãtus habeat aliquas pausas, & per consequens cessaret pro aliquo tempore prȩmium Beatorum, quia in Sanctis non sunt volubiles cogitationes, sed continuæ, & sicut dicitur de visu,ita dicendum est de auditu, qui habet ibi obiectum semper durantem,puta suauissimum cantum eò modo quò conuenit ei durare, scilicet cum pausarum interpellatione,quæ pausæ non erunt necessitate respirandi, vt fit apud nos in musica,sed ibi fiet propter perfectionem armoniæ,quæ aliquando apud musicos nostros etiam in vsu est, artis musicæ caussa.

17 Nec

17 Nec etiam dicendum est, quòd non semper duret suauissimus Christi cantus, quia aliquando etiam loquitur submissa voce, & plana; & sic non semper cantet, vt propterea videatur impossibile, quia possibile est apud Deum, quod videtur impossibile apud homines, vt habetur in Euangelio Lucę 18. nam sicuti in hoc mundo Deus potest formare sonum ad motum organi, & potest postea conseruare illum absque motu organi, etiam sine subiecto, vt est in Sacramento Eucharistiæ, ità potest esse in Paradiso, & cantus cum multa varietate ex ore Christi, & nihilominus eodem tempore loquatur, & sic vnus sonus alium non impediet, quia vnus est scilicet locutionis in subiecto, nempè in ore, & alius extra subiectum, s. sonus cantus, vt fit in Thibia, quę sonet aliquãdo absque noua insufflatione, & sic in Christo remanebit in libertate lingua, & guttur, & nihilominus eodẽ tempore loquetur: habes ergo quomodo eodem tempore, & loquatur Dominus, & cantet cum duplici delectatione cõcentus cęlestis melodię, quæ excedit omne totius vniuersi auditum delectabile.

18 Augebit autem concentus delectationem in Paradiso reformatio audibilium, quæ consistet in verborum expressione & cum maxima amoris significatione, & licet hìc scire non possumus ea, quæ loquentur, aut qua lingua, possumus tamen dicere, quòd loquentur Dei virtute, & beneficia, quæ ab eo hìc receperunt, & quòd loquentur lingua, qua loquebatur Adam ante peccatum, vel, illa longè meliori.

19 Augebit etiam concentus delectationem organorum emendatio, nam instrumenta vocis in Beatis erunt tersa, & polita, & sic assimilantur cymbalis bene sonantibus.

20 Augebit etiam delectationem ablatio impedimenti, quia ibi nõ erunt distillationes, aut humorũ superfluitates guttur aliquo modo impedientes.

21 Augebit etiam perfectio supernaturalis claritatis sonorum, vnde habetur in hymno aduentus, vox clara ecce intonat; & ideò in Paradiso voces erunt claræ supernaturaliter.

22 Augebit etiam ob resonantiam causatam à reuerberatione, nam vna vox vnius Sancti reuerberabit in aliam vocem alterius Sancti, & sic ad inuicem se lætificabunt, vt lætificant per reuerberationem radiorum lucis in corpora alia Sanctorum, nam ad inuicem se illustrabunt; imò sonus vocis Beatorum reuerberando ad cœlestia corpora facient dulcissimam melodiam.

23 Augebit etiam delectationem in Paradiso consonantia armonica, hinc dixit Aristoteles quòd anima naturaliter delectatur va-

rijs instrumentis, & generibus musicorum; itaque Sancti perfectè inter cætera dona scient musicam, & omnes musicas cõsonantias vocum, fracturas, & coloraturas.

24 Augebit etiam ex omnibus antedictis ineffabilis suauitas.

25 Augebit etiam, quòd in Paradiso sensus auditus perfectius audiet, quàm in hoc mũdo, & acutius, & ob multitudinẽ obiectorum; & licet in hoc mundo aliqua animalia superẽt nos in sensibus, vt Aquila in videndo, vultur in odorando, & Aranea in tactu, vt docet Albertus, & hoc intellige non quo ad perfectius vsum horum sensuum, tamen in Paradiso superabimus longe quæcunque animalia etiam in sensibus præstantissima.

26 Augebit etiam dulcedinem, quod in Peradiso eodem tempore, & non successiuè possunt intelligere plura per modũ vnius, vt ait diu. Thomas in prima parte q.85.art.4.& sic Sancti in Paradiso poterunt simul audire plures voces in actu completo existentes; fac me Domine vnũ ex his, quod spero ego Abbas Antonius sola misericordia tua, & non meis meritis, & idem humiliter oro pro meo caro nepote Ioanne Blasio Sacerdote, defuncto; vt ei requiem concedas perpetuam, & pro omnibus meis ac alijs fidelibus vniuersis. Amen.

DE SENSV Odoratus in Paradiso.

QVAESITVM LXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Sancti in Paradiso habebunt sensum odoratus.*

2 *Odor fundatur in sicco, & humido.*

3 *Odoratus in Paradiso perfectius erit.*

4 *Odor in Paradiso erit duobus modis.*

5 *Obiectum odoratus gratissimum erit Corpus Christi.*

6 *Odor in Paradiso erit delectabilis.*

7 *Intestina Beatorum in Paradiso erunt plena humido suauissimo.*

An Sancti in Paradiso habeant sensum odoratus per nares naturales?

1 Dic quòd sic, vt probat diu. Thomas in 4. dist. 44. q.2. qui ait odor, qui est odoratus obiectum, erit in Patria; cum Ecclesia cantet, quòd corpora Sanctorum spirabunt odorem

suauis-

suauissimum, alias diceretur nares habent, & non odorabunt, & ratio est in promptu, quia si homo est ibi totus, ergo erit quælibet pars perfecta, & sicut fętor est in Inferno, vt habetur in Apocal. 14. sic meritò debet esse odor in Paradiso, & quòd sit fętor in Inferno, habetur etiam Isa. 34. & Psal. 10.

2 Nec obstat ratio apparens, quòd in Paradiso non possit esse odor, quia odor fundatur in sicco, & humido, quæ qualitates nõ sunt in Cœlo, nec quòd corpora Sanctorum possint esse subiectum illius odoris quia si ità esset, cùm odor resultet ex mixtione contrariorum, sequeretur resolutio in corporibus, quia impassibilitas, quam habent Beati, facit eos incorruptibiles, etiam si habeant veras carnes compactas ex quatuor qualitatibus reductis ad optimam perfectionem.

3 Nec obstat, quòd ibi non sit aer, quia ibi potest esse medius aer fortè necessarius adimplendum vacuum in corporibus Beatorũ; nec etiam obstat, quòd Cœlum non recipiat peregrinas impressiones, quia medium ibi non est necessarium, nisi Cœlum, nec odor est peregrina impressio, vt dictum est supra de luce, & ideò potest per Cœlum diffundi secundum specierum multiplicationem intentionalem, & qui in hoc mundo aliquo caruit odoratu, ibi perfectus ei erit, si illic merita eum eleuabunt.

4 Imò in Paradiso odor erit duobus modis, vno supernaturali per species infusas, ex causa multorũ odorabilium (& secundum hunc modum non obstabit distantia, vel situs, vel aliqua interpositio) alio modo naturali, s. recipiendo species ab obiecto, nec est verũ, quod vbi est odor, est etiam resolutio, & ita esset resolutio in corporibus Beatorum, nam diu. Thomas probat contrarium in quarto dist. 44. q. 2. art. 1 q 4. ad tertium, sed in Cœlo nõ erit exalatio fumalis, sed sola multiplicatio specierum intentionalium à corpore Beatorum.

5 Obiectum autem gratissimum odoratus erit Corpus Christi in Paradiso, hinc habetur Cant. 1. in odorem vnguentorum tuorũ currimus; & nota quòd ibi non erit odor vnius simplicis odoriferi, quia ibi erit odor perfectissimus procedens ex mixtione omnium odorum in debita proportione, talis erit odor exiens ex Corpore Christi beatificans sensitiuas potentias Beatorum, & excedens omnes alios in odore, qui odor vel erit miraculosè diffusus in toto corpore, vel in singulis eius partibus, hinc habetur Cant. 3. & violis, & lilijs. & omnium mistura: corpora etiam Sanctorum erunt odorabilia super omni odorabili naturale. D. Thomas in 4. dist. 44. q 2. art. 1. Imò & in hoc mundo

etiam est mira fragrantia in reliquijs Sanctorum.

6 Adde, quòd odor in Paradiso erit delectabilis, quia restituetur cõmodum, quod habiturus erat homo, si non peccasset; adde etiam, quòd odorabilia erunt supernaturaliter meliorata; adde quòd erit, melius organum ibi, quàm in hoc mundo; adde quòd nullo impedimento impedietur, vt fit in hoc mundo; adde quòd ibi non erit successiuè, sed odorabimus multa simul, sicut de visu, & auditu dictum est.

7 Nota, quòd intestina Beatorum erunt plena humido nitido, & suauissimo. D. Thomas in 4. dist. 44. q. 1. art. 2.

DE SENSV GVSTVS corporalis in Paradiso, &c.

QVAESITVM LXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Sancti in Paradiso habebunt actum proprium Gustus corporalis.*

2 *Gustus in Paradiso erit per species receptas ab obiecto.*

3 *Mutatio ab exteriori non fit immutatione naturali.*

4 *In Paradiso poterunt habere dotium gustum per species diuinitus infusas.*

5 *Et possunt habere spiritualiter delectationes in omnibus fructibus.*

6 *Non erit impeditus gustus in Beatis non existentia rei naturalis.*

7 *Quæ sunt contraria gloriosis corporibus.*

8 *Sanctorum Corpora in Paradiso sunt incorruptibilia.*

9 *Corpus Christi in Paradiso erit gratissimum gustabile.*

10 *Corpus Christi mistum sapore, mira varietate erit in Paradiso.*

11 *Sapor in Paradiso restituetur sicut in statu innocentiæ.*

12 *In Paradiso augmentabitur perfectio in sensu gustus.*

13 *Modus videndi Deum in Paradiso, iuxta Augustini sententiam.*

An Beati in Paradiso habeant sensum gustus corporalis?

1 DIc vt infra, quòd Sancti habebunt actum proprium gustus corporalis per immutationem spiritualem ab exteriori obiecto, non pro ut est sensus alimenti, sed quantum ad Iudicium saporis D. Thomas in 4. dist. 44

in

in 2.quæst. art.1.q.3. cap.final. de impassibilitate gloriosorum corporum.

2 Itaque dicit D.Thomas, quòd erit ibi gustus, vel per immutationem spiritualem ab obiecto exteriori, vel quod ibi fortè erit Iudicium de saporibus per humiditatem adiunctam in lingua, & hic D.Thomas non dat certã sententiam, & ideò dic melius, quòd ibi gustus erit per species receptas ab obiecto per immutationem spiritualem factam à corpore Christi, & Sanctorum mediante sapore eis formaliter inhęrente. D.Thomas 4.dist.44 q.2.art.1. Et adde absque sumptione alicuius rei per modum cibi, & hoc proueniet à corpore Christi, & ab alijs corporibus gloriosis.

Et ideò D.Thomas loco citato, dicit quòd sensus corporum gloriosorum erit in actu per susceptionem à rebus, quæ sunt extra animam.

3 Sed nota, quòd hæc immutatio ab exteriori, non fit immutatione naturali, quod est quando organum disponitur eadem qualitate; qua res, quæ est extra animam disponitur, at cum manus fit nigra ex tactu coloris nigri, vel calida ex tactu rei calidæ; sed fiet immutatione spirituali, & est quando qualitas sensibilis, vel species sensibilis qualitatis, & nõ ipsa qualitas recipitur in Instrumento, vt pupilla recipit albedinem, vel nigredinem, & tamen ipsa neque alba, neque nigra efficitur, & secundum immutationem spiritualem erit in Beatis quæ non immutat naturam recipientis, ipse gustus. D.Thomas vbi supra: itaque gustus non erit in actu, ita quòd immutetur ab aliquo cibo, vel potu, sed modo dicto.

4 Adde, quòd Beati in Paradiso poterunt habere gustum alium per species diuinitus infusas, &

5 habere spiritualiter delectationẽ in omnibus fructibus, & in alijs quibuscunque saporibus, sicuti haberi potuissent in statu innocentiæ, vt etiam supra diximus de alijs sensibus.

6 Neque hunc gustum impediet in Beatis non existentia rei naturalis saporosæ aut distantia corporis Christi, vel Sanctorum, neque interpositio.

7 Neque obstat, quòd corpus gloriosum cum non sit saporosum, non possit mouere gustum, nam sapor ex Aristotele de sensu, & sensato, consistit in humido, & sicco, quæ sunt contraria, quia in corporibus gloriosis cõtraria sunt ibi virtualiter, ac etiam formaliter, tamen in esse fracto, & remisso, per dotem incorruptibilitatis.

8 Nota hic, quòd Sanctorum Corpora sunt incorruptibilia in Paradiso, quia animæ eorum erunt confirmatæ in gratia, & conseruant corpora, Adam etiam fuit

incorruptibilis ex parte causæ efficientis quia eius anima habuit ex dono diuino, virtutem cōseruantem corpus in statu innocentiæ, & sic poterat nō mori, damnati verò sunt immortales propter motum Cœli cessatum, vnde non potest esse amplius transmutatio.

9 Præterea Corpus Christi gloriosum erit gratissimum, gustabile in Paradiso supra omne, quod excogitari possit, neque dispositio organi, aut medij impediet sensibilem gustus perceptionem in corporibus gloriosis.

10 Neq; habebit sanctum Corpus Christi vnum saporem suauissimum, sed saporem per mixtum mira varietate, & communicabitur Sanctis varia perceptione, iuxtà eorum votum, vt de manna dicebatur, nota hic de manna quòd colligebatur quadam mēsura quæ dicebatur Gomor, & si ad ignem apponebatur fiebat dura, apta, ad omnem cibi vsum, si ad Solem, liquefiebat, ad nihil valens, vltra; ignis charitatem Sol curiositatem significabat, vt etiam diximus in nostra Lucerna, seu Catechesi ad Parochos Beneuentanæ Diœces. hinc habetur Sap. 16. Angelorum esca nutristi, omne delectamentum in se habentem, quæ authoritas Sapientiæ, secundum omnes, exponitur de corpore Christi in Sacramento Altaris; tamen quia nunquam omnia ista verificātur in perceptione sacramentali etiā Sāctorum virorum in hoc mundo; ideò dicendum est, quòd hęc figura verificabitur in Paradiso perfectè, hinc habetur Luc. 22. ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei, sic etiam in Paradiso implebitur perfectè præceptum dilectionis, vt habetur Matt. 22. Diliges, &c. hinc Augustinus dixit, quòd in Paradiso prȩceptum illud adimplebitur, in libro de perfectione Iustitiæ, idem D. Thomas in 2. 2. q. 44. art. 6. in hoc mundo autē implebitur imperfectè, nec de sunt figuræ de sapore Corporis Christi in Cœlo, vt Sapient. 16. Psal. 57. vt Lucæ 22. vt Ioan. 6.

11 Adde quòd sapor in Paradiso erit validior, quia restituetur, vt erat, & habuisset homo in statu innocentiæ, & sic multum conferet ad delectationem. nam in statu innocentię habuisset homo saporem etiam de insipidis.

12 Adde, quòd in Paradiso augumētabitur perfectio in sensu gustus, & propterea maior delectatio habebitur, & sic iudicabit, propter excellētiam organi melius de saporibus, quam vnquam potuerit in hoc mundo; imò quòd Sancti in Paradiso iudicabunt non successiuè, sed simul de pluribus saporibus, & sic maiorem gustum habebunt, licèt vnus sanctus perfectius, quàm alius, sentiet saporem secundum meritorum diuersitatem, sed est

verifi-

verisimile, quòd quilibet simul, & semel percipiat saporem illũ quantum ad omnes sapores, ex quibus constat, imò quilibet sanctus percipiet Deum per gustũ, vt percipit per alios sensus, licet per accidens.

13 Ibi videbimus Deum deorum in Syon 1. in æterna speculatione, de qua dicit Augustinus, videbimus cum fine medio amabimus sine modo; cohærebimus sine termino; itaque curremus ad hunc beatum finẽ, nec hic quiescamus, quia in spirituali profectu, non datur status: vt ait Paludanus, & si dicis sufficit, tunc defecisti, Augustinus, & non progredi, est retrogredi.

DE SENSV TACTVS in Paradiso.

QVAESITVM LXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Beati in Paradiso habebunt tactum in suis corporibus realiter.*

2 *Sensus tactus in Paradiso erit intentionalis tantum.*

3 *Tactus in Paradiso non erit impeditus neque per distantiam, neque per situm.*

4 *Beatorum tactus non erit mobilis, sed tactus virtutis.*

5 *Sanctus in Paradiso non est necesse, vt approximet se vt tangat alium.*

6 *Duo corpora Beatorum possunt se tangere mediate.*

7 *Corpora Beatorum possunt se tangere absque obiecto tangibilis speciei.*

8 *Beati possunt per species infusas tangere non entia.*

9 *In hoc mũdo non est locus fruitionis, & tactus.*

10 *Quomodo intelligantur verba dicta à Domino ad Magdalenam noli me tangere.*

11 *Sancti in Paradiso percipient tactu, etiam carnem propriã.*

12 *Beatus si velit Deo sibi assistẽte poterit sentire carnem propriam.*

13 *Qualitates tãgibiles nihil impedient operationem tactus.*

14 *In Paradiso gratissimum tangibile inter omnia tangibilia est Dominus Iesus secundum corpus, & num. 15.*

16 *In Paradiso tactus non est libidinosus, & tamen omnes delectationes mundi excedit.*

17 *In statu innocentiæ tactus non erit libidinosus.*

18 *In Paradiso augetur tactus*

quia

quia restituetur id quod per peccatum fuit ammissum.

19 *Corpus gloriosum erit semper in statu delectationis, & non tristitiæ.*

20 *Tactus in Paradiso superabit suauitatem mundi.*

21 *Varij auctores qui tractant de hac re.*

An tactus in corporibus Beatis in Paradiso habeat suum actum realiter?

1 Dic quòd sic, & patet Ioã. 20. cum Dominus dixit Magdalenæ; noli me tangere, nondũ enim ascendi ad Patrem meum; volens inferre, quòd quando ascenderit, licebit tangere, ei & alijs Beatis.

2 Sed sensus tactus in Paradiso fit intentionali tantum, & non materiali immutatione, vt ait diu. Thomas in quarto dist. 44. q 2. art. 1.

Et causa, quæ excludit naturalem immutationẽ à corporibus gloriosis est impassibilitas.

3 Et hic tactus in Paradiso est possibilis non solum per immutationem factam ab obiecto approximato, sed etiam à quauis distantia finita, & à quouis situ ipsius obiecti; adde quòd tactus in Paradiso poterit sine omni immutatione, quæ per obiectum causatur, habere actum suum, hinc sequitur, quòd tactus non impeditur in Paradiso distantia, aut situ, aut interpositione cuiusuis corporis.

4 Nec obstat prędictis regula Philosophi in secundo de anima, quòd tactus non sensit sua obiecta per medium extraneum, quia illa regula procedit in tactu mathematico, non autem in tactu physico de quo loquimur hic, & mathematicus tactus est coniunctio contigua duorom corporũ extremorum physicus est tactus cum immutatione sensus primus est inter insensibilia, secundus nõ est nisi cũ sensu, & tactus Beatorum non est tactus molis, qui nõ potest esse sine medio, sed est tactus virtutis, & iste tactus virtutis non erit in Beatis in omnibus sensibus, sed in quibusdam per medium proximum, & medium, aut est coniunctum, aut extraneũ coniunctum est caro, quæ sentit, vt medium, non vt organum, nã organum est iuxta cor, in quò si obiectum tangibile constitueretur, non sentiret, caro autem sentit per totum corpus.

5 Est & medium extrinsecum, vt aqua, vel aer, sed dimissis distinctionibus dicimus quod in con tactu animali, seu virtuali, non est necesse, quod obiecta tan gã organa, hinc sequitur quod vnus sanctus etiam si in Paradiso distet ab alio nõ est necesse, vt approximet se, sed potest eum tangere per immutationem factam

ab

ab illo Sancto in tangentem per medium extraneum.

6 Sequitur etiam, quod duo corpora Beatorum possunt se tangere mediatè quo ad media intrinseca absq; modo extrinseco, quod est cœlum, quod non mediat quia sic esset frangibilis, & hoc est per accidens.

7 Sequitur etiam, quod corpora Beatorum possunt se tangere absque eò, quod obiectum sit principium tangibilis speciei, nã obiectum, vt obiectum est aliud operatur; & vt est principium operatur aliud.

8 Sequitur etiam, quod Beati poterunt per species infusas tangere etiam non entia, nam etiam si sanctus appeteret tangere flores, posset per species infusas, & istæ species sunt eiusdem speciei cum decisis ab obiecto.

9 Nota hic expositionem loci supracitati Ioan. 20. de Magdalena, ne forte silentio prætercam intentus tam & tot delectabilibus infra dicendis; nam (vt ait Nicolaus de Gorra) Magdalena continuè quærebat Dominum, & nolebat eum dimittere, quam redarguens dixit non esse hic in hoc mundo locum fruitionis, & tactus, sed in Cœlo cum Patre, hinc dicit noli me tangere, idest noli tangẽdo hic frui velle, nam non es vbi, est locus fruitionis; itaque noluit tangi à Magdalena, & tamen Matth. 28. permisit se teneri, & tangi à duabus alijs Marijs; sed hoc resoluitur quod cum Dominus fecisset Magdalenam primam nunciatricem suæ resurrectionis, vt ei abundantius gratiam faceret, fecit, vt prima cognosceret mysterium Ascensionis, quod voluit tunc abscondi illis duabus Marijs, nam non resurrexerat ad exibendum se, vt quis frueretur eius visione in hac vita; sed oportebat fideles sperare vsque ad mortem, & resurrectionem, & tunc exiberet se in Paradiso fruendũ quò ad corpora, & animas beatas.

10 Et cum multitudini præbuit se tangendum, hoc fecit ne putaretur phantasma, & cum dixit noli me tangere Magdalenæ, voluit inferre, quod tu non intelligis in quo statu nunc sim, & credis posse tangere me, vt prius in mortali corpore, sed in Cœlo tanges, & frueris; sed redeamus ad propositum.

11 Adde antedictis de tactu, quod Sancti in Paradiso percipient tactu etiam carnem propriam organo tactus coniunctam immediatè, & hoc erit non obstantibus rationibus naturalibus in contrarium facientibus, scilicet quod sensibile, vt ait Philosophus in secundo de Anima positum supra sensum, non facit sensationem, nam si tactus Beati respectu vnius obiecti est semper in actu, videtur quod non potest alia percipere, & hæc est ratio mirabiliter apparens vera; sed

notan-

notandum pro responsione, quod aliud est sentire tactu, & aliud est tangere, & vt diximus supra, corpora possunt se tangere mathematicè, & physicè absque vllo sensu, sed caro coniuncta neruo tactus immediatè certè mathematicè tangit, & tangitur, sed tactus animalis excludit modum tangendi mathematicè.

Nota hic pro intelligentia huius difficultatis, quod est possibile, vt aliquis possit sentire propriã carnem sensu tactus per modum carnis alienæ, vt si quis supponat manus manui, aut capiti, sed si aliquis sentiat propriam carnem per modum carnis propriæ, tanquam coniunctæ tactui, hoc est mirabile in Philosophia, quia tunc sensibile ponitur supra sensum, & hoc procedit in hoc mundo D. Thomas in commentario super librum de anima dicit, quod medium est magis susceptiuum impressionis ab obiecto, quam organum, & hoc procedit quando Deus non vellet coagere obiecto per spiritualem, vel intentionalem influentiam, addit duas alias rationes hic Doctor Angelicus, nēpè quod species intētionalis sensibilis modo spiritualiori recipitur in organo quam in medio, & quod non sufficit obiectum, in quo est forma realis ad tantam spiritualitatem, sed sufficit medium intentionale, idest in quo est forma intentionalis, quæ mouet subtiliori modo; Tertiam rationem prætereo, & respondeo, quod procedunt in præsenti vita, sed in altera vita beatus † si velit Deo sibi assistente poterit sentire carnem propriam coniunctam organo tactus, & videre proprium oculum, & osculari propria labia, nõ obstante naturali ratione, quia apud naturæ auctorem non valet naturalis ratio. quia est supra naturam, & vt exeamus ex his difficultatibus, dicimus quod in Paradiso non proceditur, vt in hoc mundo, & ideo non oportet rationes huius status adducere in argumentum contra statum alterius vitæ, conclude quod sicut alij sensus plura in actu intelligent, sic sensus tactus sentiet multa simul in actu (vt supra dictum est.

12

13 Adde quod qualitates tangibiles existentes actu in medio, vel in organo tactus, nihil impedient operationem tactus.

14 Adde quod in Paradiso gratissimum tangibile inter omnia tangibilia est Dominus Iesus secundũ corpus, hinc dicitur Sap. 12. ò quam bonus, & suauis est spiritus tuus in nobis, ergo in eò est suauitas carnis super omnes suauitates & per consequens super omne delectabile, & ratio est, quia à maiori gloria animæ redundat maior gloria, & à maiori suauitate maior suauitas in Corpus Christi, quæ est tactui delectabilis.

15 adest

15 Adest etiam ratio: nam si Corpus Christi fuit melius complexio natum (vt omnes affirmant Theologi) ergo est tactus suauissimi, & gratissi, imò in hoc mundo Corpus Christi (si nõ fuissent alia accidentia) fuisset vtique suaue tactui præ omnibus corporibus tàm virorum, quàm fœminarum, vt fuit præ omnibus speciosior.

16 Adde quod in Paradiso suauitates, & delectationes secundum tactum non sunt libidinosæ, & tamen excedunt omnes delectationes huius mundi, hinc Augustinus lib. de Ciuit. Dei cap. 21. Absit vt credamus coniuges in Paradiso comunctos per hanc libidinem (de qua erubescẽdo eadem membra texerunt) impleturos fuisse quod Deus dixit in sua benedictione. Crescite, & multiplicamini, nam libido orta est post peccatum; & D. Thomas in prima parte q. 98. art. 2. deformitas, inquit, immoderatæ concupiscientiæ non fuisset in statu innocentiæ, tamen non fuisset minor delectatio secũdum sensum, imò maior, quia natura purior, & corpus magis sensibile; sicut sobrius magis sentit delectationem, quam gulosus.

17 Cum ergo hoc fuisset in statu innocentię, quantò magis in Paradiso poterit esse magnitudo delectationis sensibilis absque libidine, & commixtione, & sit tãtum delectatio, sed in Paradiso non erat concupiscentio carnalis, quia ibi rationalis.

18 Adde quod delectatio sensus tactus in Paradiso augebitur, quia restituetur ibi, quod amissũ fuit per peccatum, & habuisset homo, si non peccasset, itaque augebitur mirum in modum sensus tactus ex tangibilium aptitudine, tum etiam ex obiecto in ordine ad sensum tactus, quia ibi corpora eorũ meliorata secluso omni asperitate, quia conditio gloriæ hoc operabitur, nam ibi corpora erunt tersa, & polita, imò nec in aliqua parte totius erunt dura, sed erunt sicut vitrum sine poris non tamen habebunt duritiam vitri, sed tantum erunt lucida vt vitrum, & benè solida, vt corporea carnea, imò perfectiora, secundum statum illius loci.

19 Nec deerũt ibi caliditas, aut frigiditas in corporibus gloriosis, sed reductis in quendam statum, vt delectationem habeant, & non tristitiam.

20 Delectatio autem tactus in Paradiso superabit suauitatem quamlibet huius mundi, imò est indicibilis, & cũ tangemus Christum, vel ab eo tangemur sentiemus intrinsecè, & extrinsecè ineffabilem suauitatem, ad quam perducat nos Deus intercessione Beatę Virginis, cuius nomini cõsecrata est hodierna dies Sabbati 23. Februarij 1619.

21 Hæc ex authoribus citatis, & ex tractatulo Rimertini Episcopi

Coronensis de sensibilibus delitij, & ex tractatulo Petri Reginaldeti de finali retributione. Protestor quod nisi Ecclesia approbauerit omnia igni tradantur. Ego Antonius Ragucius manu mea.

SEQVNTVR ALIA varia, & diuersa quęsita ad eandem materiam pertinentia.

QVAESITVM LXXX.

SVMMARIVM.

1 *Deus, est res inexplicabilis, & noster intellectus corpore non potest.*

2 *Angeli nomen, est officij non naturæ.*

3 *Spiritus Angelici dum mittuntur à Deo, bonum nomen obtinent.*

4 *Dæmones sunt Spiritus rubelli, & vbi destinati.*

5 *Per verbi Spiritus nomen particulare non habeat.*

6 *Deus creauit Cælum, & terrã à principio, vt dictum est.*

7 *An mundus fuerit creatus mẽse Martij.*

Quæ fecit Deus, vel creauit à principio creationis huius mundi?

1 DIc. quòd cum sit Deus res inexplicabilis, & quam intellectus noster capere non potest, de quo scribit B. Anselmus quòd intelligi eius natura non possit, nedùm explicari, vel cogitari, & Trismegistus, quòd sit sphera intellectualis, cuius centrum vbique est, & circumferentia nullibi: difficile possunt capi eius mysteria, & explicari tamen eo inspirante dic secundum sacros Doctores, qđ Deus à principio, quatuor insimul creauit, nempè Cœlum Empyreum, materiam corporalem, quàm sacra Scriptura, terram appellat tempus, & naturam Angelicam, & post aliquod tempus creauit Infernum propter Angelos rebelles.

2 Hic nota quòd Angeli nomen, est officij, non naturæ: hinc in Psalmo dicitur, qui facit Angelos suos spiritus, & secundum officium, sortiuntur à Deo nomen, vt Michael, quis, vt Deus? Gabriel fortitudo Dei, Raphael medicina Dei, & Vriel Ignis diuinus: de Michaele habetur Apoc. de Gabriele, Daniel l b. 2. de Raphaele, Tob. 3. & de Vriel Esdræ 4. qui liber Esdrę licet sit maximè auctoritatis non tamen est Canonicus.

3 Et omnes spiritus Angelici, cum

à Deo

à Deo mittuntur, bonum nomẽ secundum eorum officium, & commissionem eis à Deo datã bonum nomen obtinent.

4 Secus dicendum de spiritibus rebellibus qui à Græcis, Cacodæmones appellantur, in quorum rebellione, partim eorum in Inferno inferiori, demersi partim verò, in hoc caliginoso aere vsq; ad finem mundi relegati fuerũt, & licet nomen dæmonis scientiam, seu scientificum sonet, tamen maligni spiritus dicuntur Cacodęmones, idest, pleni mala scientia, tanquam hominum adversarij, & ad ruinam humani generis satis procliui.

5 Hi peruersi spiritus nomen particulare non habent, sed nomen acquirunt ex mala eorum actione. hinc Lucifer, dicitur superbus, quia superbia tentat Gen. 3. Asmodeus, tentat luxuria Tob. 3. Satanaxus tentat impatientia, Iob 1. Beelfagor tentat gula; Psal. 105. Belzebub tentat inuidia Luc. 11. Beemoth, tentat accidia Iob 40. Mammona tentat auaritia: Matth. 16. & ita eorum nomina.

6 Dic ergo ad quæsitum, quod Deus à principio creauit Cęlum, & terram secundum quòd vt supra dictum est.

7 An mundus hic fuerit creatus mense Martij, vel Septembris? Dic quòd alij volunt, quod fuerit creatus mense Septembris, sed melius de mense Martij ij. Kal. Aprilis secundum Diu. August. tom. 4. 106 ex vtroque mixtum, & hæc sentent. verior apparet, quia videmus, Solem incipere cursum suum in principio signi Arietis.

QVAESITVM LXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Homo fuit a Deo creatus ex mera Dei bonitate.*

2 *Fuit creatus ad reparandam naturam Angelicam.*

Quare Deus cum nihilo egeat, & eguerit, hominem creauit?

1 Dic quòd homo à Deo creatus fuit ex mera Dei bonitate, solummodò ad gloriam diuinæ Maiestatis, vt illam semper laudaret, in hac via, & postea eo frueretur in patria: quantam ergo pœnam habebit homo peccator reparatus.

2 Et licet allegatur, quòd fuerit creatus ad reparandam naturam Angelicam, tamen hæc causa nõ fuit maior, & pręcipua, causa quia alias sequeretur hominem creatum non fuisse nisi Angelus cęcidisset; ita Mag. sent. in secundo dist. 1.

QVAESITVM LXXXII.

SVMMARIVM.

2 *Primus homo ex qua materia fuit creatus.*
2 *Creatio Animæ est Dei tantum.*
3 *Adamus subito creatus fuit ætate virili.*
4 *Extra Paradisum fuit creatus primus homo.*
5 *Mulier intus Paradisum, & num. 6.*

Ex qua materia fuerit creatus primus homo, & si ab ipso Deo, immediatè, vel ministerio Angelico?

1 DIc corpus Adami primi hominis, & parentis omnium fuisse à Deo formatum ex puluere, seu rubea terra, in campo Damasceno ministerio tamen Angelico. Compend. Theolog. cap 62. lib. 2.

2 Adde quòd anima Adami fuit solummodò creata à Deo, quia creatio est Dei tantum, & fuit creata in statu gratiæ cum Iustitia originali, & subito creatus fuit Deo gratus, & acceptus August. cap. 9. lib. 12. Ciuit. Dei per hæc verba Deus simul erat in eis condens naturam, & largiens gratiã; quæ authoritas licet possit intelligi de Angelis, potest tamen secundum diu. Thomã in secundo sent. etiam intelligi de primis parentibus, licet Scotus senserit contrarium, sed prima sententia est communior.

3 Nota hic, quod Adamus subito creatus, fuit ætate virili, nempè, vt esset triginta trium annorum, vel circa, non quoad annos, sed quantum ad aspectum, & apparentiam; idem dic de Eua, ita Magister sentent. dist. 17. ita Augustinus super Genesim.

4 Nota etiam quod Adamus, vt dictum est, fuit creatus extra Paradisum, in cãpo Damasceno, scilicet, vel propè ciuitatem, quæ Damascus dicta est, vel alio loco, qui Damascenus campus; sed
5 mulier, fuit creata intus Paradisum.

6 Et ratio quare Adamus extra Paradisum fuerit creatus potest assignari, quia præuidebatur, à Creatore ipsum breui tempore in Paradiso mansurum, & vt noscerer se Dei creaturam, & illius beneficio in locum delitiarum translatum, postea si in innocẽtia permaneret in Paradisum gloriæ collocandum, & poterut non mori, cum mortalis esset secundum carnem. Eua vero fuit in Paradiso creata, quia vt mulier debilis, & læbilis, posset vel hoc beneficio in Dei obedientia permanere, & illum tentationi-

bus resistendo, super omnibus amare, & tali beneficio munita dœmonem superare.

QVAESITVM LXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Terrestris Paradisus vbi situs est.*

2 *Mundum totum esse Paradisum terrestrem.*

3 *Situs Paradisi terrestri est situatum extra terram.*

4 *Paradisus terrestris locus delitiarum est.*

5 *Quilibet absque speciali gratia potest introire in Paradiso terrestri.*

Vbi est, vel fuerit Terrestris Paradisus?

1 DIc quod aliqui dixerunt historiam de terrestri Paradiso, esse non realem, sed spiritualem, & interpretandam allegoricè, ita Phylon. Hebræus, & Valentinus Hereticus cum Origene, qui est clarissimus error, & damnatus.

2 Aliqui dixerunt hunc mundum totum esse Paradisum Terrestrē, & hic est vt supra error euidens, & clarus.

3 Alij locum Paradisi terrestris esse extra terrā ab hominibus habitatam, alij esse locum in terra, sed altitudine Cœlum Lunæ attingentem.

4 Tu dic quod Paradisus Terrestris locus delitiarum omnium in terra honestè appetibilium est in loco Orientis, hinc dicitur, quem fecit à principio, idest in Oriente, remotissimus tamen ab hominum cognitione, ob hominum peccata, & ingratitudinem & in hoc loco, dicuntur viuere Enoch & Eliam vsque ad finem mundi, & vt aliqui volunt subtus Paradisum terrestrem per rectā lineam reperitur Infernus damnatorum in centro terræ, vide Illustriss. Bellarm. & supra eadē linea dicitur esse Cœlum Empyreum. Bar. Sybil. in tract. Peregr. q. 1. de eadem q. 7. cap. 3. dicit de Paradiso terrestri quatuor opiniones, prima est quod Paradisus terrestris fuit destructus à diluuio, & ratio, quia fuit creatus propter hominem hunc expulso homine, fuit & hic locus destructus, vel submersus à diluuio, quòd durauit per annum, & decem dies. Hanc tenent multi, & nouissimè P. Salmeron. doctiss. ex Societate Iesu ex publicis lectionibus ex Chrysost.

Altera ratio est, quod non fuit destructus à diluuio, quòd peruenit tantum ad loca subdita peccatis, & illis infectum, quomodo non erat ille locus, nam fuit indeeiectus Adam ob peccatum. Vide Sybill. loco citato.

5 Hæc

5 Hæc poteſt quiſq; in terreſtrem Paradiſum introire, abſque ſpeciali gratia, eſt enim Angelica cuſtodia munitum, & igne vndique circundatum, hinc habetur Geneſ. 3. Collocauit Dominus ante Paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.

QVAESITVM LXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quot, & quale fuerit peccatum Adæ.*
2 *Fuit peccatum ſuperbiæ.*
3 *Peccatum Adæ dicitur grauius peccato Euæ.*

Quod fuerit, vel quale fuerit peccatum Adæ? ſuperbia, vel aliud puta gula, vel auaritia, aut aliud?

1 DIc quod fuit ſuperbia; ita Alexander Alenſis ſecunda parte ſuæ Summæ, diuus Thoma 2. diſt. 21. Durandus, & Gabriel. D. Bonauent. tenet quòd fuit inobedientia. Scotus quod fuit inordinatus amor, in vxorem non concupiſcentiæ, ſed amicitiæ.

2 Sed conclude, quòd fuit ſuperbia omnibus alijs his circumſtantijs aſſociata. Nec primorum parentum hęc culpa poteſt dici omnibus modis omnibus peccatis ſimpliciter loquendo, maius enim peccatum eſt odium integrum, idolatria Hæreſis, & ſimilia, ſed quodammodo dicitur maius ob ingratitudinem, & quod poterant non peccare, & quia illorum culpa totum genus humanum fędauit, & infecit.

3 Nota hic quòd peccatum Adæ dicitur grauius peccato Euæ, ſed ſimpliciter loquendo fuit grauior culpa ipſius Euæ: ratio eſt, quia Adam fuit perfectior creatus, hinc non debuit mulieri conſentire, & quia ipſi præcipuè fuerat à Deo iniunctum mandatum, ſed videtur grauiur peccaſſe Euã, quia diabolo credidit, & coniugem ad peccandum incitauit, vide diu. Thom. 2. 2. q. 163.

QVAESITVM LXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Quis primorum Parentum putor peccauit, & quanto ſpatio.*
2 *Qua hora peccauerunt.*
3 *In ſexto die.*

1 Quis

1 QVis primorum Parentum prior peccauit, & quanto spatio perseuerauerunt
2 in statu innocentiæ, † qua hora peccauerunt? & in qua die?

Dic quod prior peccauit Eua Genes. cap. 3. & quòd Adam circa spatium sex horarum fuit absque peccato, itaque creatus de mane hora sexta peccauit, & hoc
3 † in sexto die nempè in die Veneris; hinc metro habetur.

Salue festa dies, quæ vulnera nostra coerces:
Angelus est missus: est passus, & in Cruce Christus;
Est & Adam factus, & eodem tempore lapsus,
Ob meritum diuinæ cadit Abel fratris ab ictu.
Offert Melchisedech: Isaac supponitur aris.
Est decollatus Christi Baptista beatus.
Petrus erectus: Iacobus sub Herode peremptus.
Corpora Sanctorum cum Christo multa resurgunt,
Latro per Christum tam dulce suscipit, Amen.

QVAESITVM LXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Illa arbor vetita iuxta Augustini fuit ficulnea.*
2 *Aliorum sententia est, quod fuit pomum.*
3 *Adam, & Eua peccauerunt mortaliter transgrediendo.*

Quòd arboris genus fuerit illa arbor, cuius fructus fuit vetitus?

1 DIc, secundum diuum Augustinum, in lib. dicto Hypognosticon; & cum eo Magistrum Hystoriarum, quòd illa arbor fuit ficulnea, & ipsius fructus fuit ficus, & horum sententia forsan fundatur in eo, quòd statim post commissum peccatum, primi parentes fecerunt sibi perizem de arbore ficus, quia aperti fuerint eorum oculi.
2 Sed aliorum omnium sententia est, quòd fuit pomum, ex eo, quia ibi dicitur quòd erat pulchrum visu, nam ficus fructus, non tàm pulcher visu, quàm pomum. saltem colore, si non sapore, & ita etiam habent picturæ antiquæ; Hinc vocantur aliqua poma, Poma Adami, in quibus videtur quodammodo, quædam signum mortificaturæ humanorum dentium, quæm in

signum primi parentis morsus. Sed hæc dicta sint salua correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, pro meliori sententia, & potius relata, quam affirmata.

3 Hic nota, quòd Adam, & Eua peccauerunt mortaliter trãsgrediendo, & fuerunt à Deo puniti. Adeò, vt omnibus diebus vitæ suæ laboraret, & cum alijs pœnis datis etiam posteris. Eua, vt in dolore pareret, & cum alijs pœnis datis etiam alijs mulieribus.

QVAESITVM LXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Primi Parentes poterant resistere diabolo.*

2 *Primi parentes fuerunt creati mortales.*

Quare Deus permisit primos Parentes tentari, quos sciebat carnios?

1 Dic primo secundum diuum Augustinum in lib. 2. super Genes. ad literam; quod prima causa huius quæsiti, soli Deo, nota est.

Sed quod communiter dici potest, & quòd poterant primi parentes resistere diabolo, & illum vincere, & sic præmia victoriæ tanta adipisci, alias rationes afferunt sacri Scriptores, quas breuitati solitæ studens omitto.

2 Nota quòd, etsi primi parentes fuerunt creati mortales, tãquam ex elementis contrarijs, ac cæteri homines, tamen diuinis auxilijs, quibus illos Deus ornauerat, poterant non mori, atque ita si non peccassent, non fuissent mortui, & ita longęui satis postea transferri in Paradisum gloriæ sed ob peccatum effecti fuerunt mortales, & consequenter nos omnes coram Annogenies; & mors, dicitur à morsu pomi vetiti.

QVAESITVM LXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Paradisus quomodo situatus est.*

2 *Distantia à terra ad Cœlum Empyreum.*

1 Quomodo sit situatus Paradisus Cœlestis?

1 Dic quòd est super Cœlum Empyreum, vbi Sanctissima Trinitas, & cum Filio humanitas assumpta, & post Beatissima Virgo, deinde Chori Angelorum, & cum his Sancti, prout eorum merita obtinuerunt.

2 Distantia autem ab hac terra ad Cœlos hæc est secundum Pelpartum in sermone de Ascensione Domini; à centro terræ, in-

quit,

quit, vſque ad Saturni orbem eſt inter annorū ſeptem millia, & ſeptemcentum. Idem affirmat Alphagranus Philoſophus, vel parum differt eius ſententia. Spatium cœli Saturni ad Empyreum eſt hoc ſpatium ſcilicet, temporis deſcenſus lapidis ab Empyreo vſque ad ſuperficiem terræ, quod ſpatium vix tempore quingentorum annorū compleretur, ita exemplificat de hac diſtantia Bernardus.

QVAESITVM LXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo Dominus ſtat in Paradiſo.*
2 *Sancti in Paradiſo non ſedebunt, ſed ſtabunt.*
3 *Beati poſſunt per Paradiſum deambulare.*
4 *Diſtantia non priuabit Beatos à viſione beatifica.*
5 *Opinio de ſitu Sanctiſſimæ Trinitatis, & Corporis Chriſti in Paradiſo.*
6 *Beati in Paradiſo habebunt veſtimentum gloriæ.*

Quomodo ſtat Dominus in Paradiſo reſpectu Beatorum, in medio, ſ. vel in alio loco?

1 DIc ſecundum diu. Bonauen. & Riccard. in 3 ſent. quòd Chriſtus non ſtat in medio localiter, ſed in altiore parte cœli. Hinc Dauid, Aſcendit ſuper cęlum cęli. Et ſic habet omnes Electos ante faciem ſuam.

2 Et nota, quòd Beati in Paradiſo, vt ait Scotus in 4. non ſedebunt, ſed ſtabunt propter eorum agilitatem, non tamen defatigabuntur, & Dominus noſter, ſecundū Riccard. poteſt credi, quòd non ſemper erit in vno loco Paradiſi, ſed aliquando, vt ei placebit, ibit de loco in locum, ſaltem paruo ſpatio temporis, & ſic aliquando apparuit Paulo Actuum cap. 9. & Ioanni Euangeliſtæ.

3 Beati autem, & ipſi poſſunt quocunq; eis placuerit per Paradisū deābulare, iuxta tñ Dei placitū, vt ſpero ego Anton. diuino fauore, & hoc de facili ob dotē agilitatis.

4 Non tamen ob diſtantiā à Chriſto Beati priuabuntur eadem beatifica viſione, & beatitudine, quia ſemper erit eis Deus præſens, & ex virtute ſupernaturali vbicunque Beati erunt, ſemper videbunt beatam Chriſti humanitatem in Paradiſo.

5 Nota etiam hic, quòd ſpeculantes dicunt, quòd ſitus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Corporis Chriſti in Paradiſo eſt in parte Aquilonari; iuxta illud, Terra Aquilonis Ciuitas Regis magni; ità Maioron. in quodam ſermone, & confirmatur per illud Iſaiæ 14. In lateribus Aquilonis, &c. Hæc eſt pia reſponſio, & opinio, quæ

tamen submittitur, sicut omnia correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ. Addo obiter, quòd Hebrei adorabant occidentem versus, significãtes Christi occasum, ita Lyranus. Sed Diu. Greg. super vers. Cantate. Psal. 67. Christiani, inquit, adorant ad Orientem significantes, quòd exclusi à terrestri Paradiso, qui fuit, vel est in Oriente, per orationem petimus recipi in Paradisũ Cœlestẽ.

6 Nota insuper, quòd Beati in Paradiso non erunt induti corruptibilibus vestibus, sed, vt Seuerinus super D. Marcum, loco vestimentorum habebunt operimentum gloriæ perpetuæ, quæ resplendet ad instar Solis, & laudabunt Dominum vocali laude ex diuina virtute, & hoc Hebrea lingua; Lyranus dicit super c. 13. ad Corint. quòd hæc lingua ibi non cessabit, cessantibus alijs, & ibi Beati simul familliariter conuersabuntur, & ad inuicem lætitiam capient. Ibi etiam pro nobis orãt, & semper exaudiuntur, scilicet, quando orant, vt aliquid boni nobis detur, vel mali remoueatur: sed quando orant interpretatiuè, & est, quando eorum merita, quæ sunt eis ad gloriam, vt sint etiam nobis, vt suffragia, non semper exaudiuntur, & hoc ratione obicis ex parte nostra, & ipsi Beati vident nostras orationes, & sciunt quidquid facimus, & etiam quod mente ad eorum honorem facimus eos scire, probabile est. Et licet aliqui dicant, quòd mortui etiam Sancti nesciant quid agant viui, vt supradictum est, affirmat tamen D. Gregor. quòd excellentiam eorum decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas, vt Deo, charitate moti, representent.

LAVS DEO.

Congruenter agitur infra de pœnitentijs, & remissionibus, nam his medijs, & pœnas alterius vitæ euadimus, & cœlestis patriæ acquirimus gloriam sempiternam.

DE

DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBVS.



QVAESITVM PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Liber de Pœnitentia Adæ Apocriphus.*
2 *Est communis sententia quod sint salui.*
3 *In Monte Caluarij Adam, & Eua sepulti sunt.*

An Adam, & Eua egerint pœnitentiam de eorum magno peccato, & sint in gloria?

Dic quòd licet textus in cap. Sãcta Romana, dist. 25. ha-
1 beat † pro Apocripho libellum de pœnitentia Adę, tamen com-
2 munis † sententia est quòd sint salui, & quòd egerint pœnitentiam: sed non subito post peccatum, sed procrastinauerunt pœnitentiam vsque ad centum annos, ideſt vſque ad occiſionẽ filij Abelis. Ita Pelbartus in suo Rosario lib. 2. Videatur in suis controuerfijs Illustriss. Bellarm. de amissione gratię, & statu peccati, & quòd Adam sepultus fuit in loco, vbi Christus fuit crucifixus. Et licet videatur cõtrarium quod legitur Iosuè c. 14. Adam maximus ibi situs est inter Enachim, ideſt in Chariat, tamen ille locus intelligitur, vel de Abrahamo, vel de quodam gigante Adam vocato.
3 Itaque in eodem loco Caluarij sepultus est Adam cum vxore, ita Origenes, & Athanasius, qui refert ita tenere Rabinos, ita Augustinus in quodam suo sermone, ita diuus Thomas super Luc. 23.

QVAESITVM II.

SVMMARIVM.

1 *Tenetur reiterare Confessionẽ, qui confessus est Confessario non habenti Iurisdictionem, & num. 2.*
3 *Pœnitens si morietur saluabitur stante eius contritione.*

An qui confessus est alicui pluries, qui postea declarauit se non habere Iurisdictionem, teneatur qui confessus est bona fide, repetere confessiones, vel valeat confessio facta?

1 DIc quod debet reiterare omnes confessiones factas habenti iurisdictionem, & bona praxis esset si eidem Confessori impetrata audiendi confessiones facultate, diceret pœnitens ego confiteor tibi omnia peccata hac vice quæ confessus sum tibi duabus, vel tribus vicibus, & vltra hæc alia, quæ postea commisi, exprimendo alia postea commissa.

2 Et hæc praxis valet, quando confessarius recordetur peccata alias ei exposita, vel pœnitentiã, quam iniunxit, vel si saltem propè verum recordetur statum pœnitentis, quem nouit in præcedentibus confessionibus. Nauarrus in Manuali, cap 6. num. 16. & de pœnit. & remiss. consil. 1.

3 Adde quod si prædictus pœnitens interim moriretur, dicerem quòd esset saluus stãte eius contritione, si eam habuit.

QVAESITVM III.

SVMMARIVM.

1 *Tenetur pœnitens, vt absoluatur, remittere offensas.*

2 *Sufficit remittere odium, & rangorem particularem.*

3 *Passus iniuriam tenetur amare iniuriantem amore generali.*

4 *Ad euitandum scandalum tenemur ostendere signa specialis beneuolentiæ.*

5 *Iure naturali tenemur remittere vindictam generalem.*

An possit absolui pœnitens, qui non vult remittere offensam submissè petenti, etiam offerendo interesse?

1 DIc quòd hic deberet remittere, iuxta illud Matth. 5. Diligite inimicos vestros, & Ioan. 6. Non diligamus verbo, sed opere, & veritate: & vt habetur in cap. per totam 90. dist. quòd si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo satisfacienti, acerrimis maceretur inedijs, vsque dum animo gratanti recipiat satisfactionem: tamen non tenetur, nec de necessitate salutis, nec præcepti, nec sub pœna peccati mortalis remittere, † sed sufficiet remittere odiũ, & rancorem particularem; non tamen tenetur remittere actionem iniuriarum, nec actionem; quam iura ei concedunt, vide glosam singularem receptam super dicto C.

3 Tamen

3 Tamen iniuriam paffus tenetur amare iniuriātem amore generali,& ei figna communia oftendere,vt facit cum alijs,& fic generaliter pro eo etiam orare,fed non tenetur monftrare illi figna fpecialis,& particularis beneuolentiæ, nifi in cafu extremæ neceffitatis: diu.Thom.2.2.q.25. art.8.9.

Caietanus fuper hoc dubio dicit Confefforem debere abfoluere 4 iniuriam paffum nolentem alloqui eos,qui iniuriam intulerunt, nifi ex eo fcandalum oriretur, nam tunc ad euitandum fcandalum teneretur oftendere figna fpecialis beneuolentiæ.

Perfectiùs effet,vt remitteret, nam non eft facile expellere rancorē particularem, retento odio, & 5 vindicta in generali per iuftitiā temporalem; vide diuum Thomam,vbi fupra q.147.art.3. qui dicit;quòd tenetur ieiunare,qui putat fe fuperandum ab incentiuo carnis, nifi illam maceret, etiam Iure naturali: fic etiam teneretur remittere etiam vindictam generalē qui dubitat probabiliter fe victum iri à rancore, & odio particulari, vide Nauarrum,vbi fupra confil.3.

QVAESITVM IIII.
SVMMARIVM.

1 *Confefsor debet fcire fpeciem peccati, vt differrat.*

2 *Pœnitens non tenetur confiteri Confeffario interroganti fi eft Virgo adhuc, vel non, & num.3. & 4.*

5 *Vltimam fpeciem peccati neceffarium eft, vt confiteatur.*

6 *Non tenetur pœnitens confiteri circunftantiam diminuentem peccati.*

An fit abfoluenda mulier pœni-1 tens,quę virgo putatur,fed aliàs commifit peccatum mollitiei,& illud fuit confeffa, fi deinde committat peccatū carnis cum viro,cùm interrogatur fi eft virgo à confeffario,& ipfa affirmat, nam Confeffor debet fcire vltimam fpeciem peccati,vt difcernat fi eft ftuprū,vel fimplex fornicatio, vt poffit falutarem imponere pœnitentiam?

2 DIc quòd talis pœnitens non tenetur confiteri confeffario interroganti fi eft virgo adhuc,vel corrupta, fi aliàs de eò peccato mollitiei confeffa eft, nam nullo Iure pœnitens tenetur repetere peccatum ritè, & rectè confeffum. Nauarrus in Manuali c.9. in principio,& fic poteft abfolui.

3 Imò antedicta pœnitens poteft abfque peccato tacere illud ftuprum, & negare fe commififfe intelligendo fecundum fuum

fenfum,

sensum, quòd non fuit corrupta vt teneatur confiteri. Nauarr. in cap. humanæ aures vigesima secunda, q. 5.

4 Imò peccaret saltem venialiter si confiteretur illam corruptionem, quæ erat secreta, quia se ipsam infamaret c. non sunt audiendi 11. q. 3. Nauarr. cap. 18. num. 27. in Manuali.

5 Et ratio potest esse quia non cõfitendo, vel tacendo, non facit, vt confessor ignoret. Vltimam speciem peccati, quæ necessaria est confitenda, nam illa corruptio non notificat, an sit fractio virginitatis, aut simplex fornica-
6 tio; adde quia † pœnitens non tenetur confiteri circumstantiã diminuentem peccati. Nauarr. in Manuali c. 6. num. 5. dic denique, quòd sufficit confiteri vltimam speciem peccati, quæ necessariò est confitenda, & potest taceri illa species peccati, quæ non est necessario confitenda, vt in casu proposito, vide Nauarr. de pœnit. & remiss. consil. 15.

QVAESITVM V.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiarius electus ab Episcopo in sua Cathedrali, an possit absoluere à reseruatis.*

An pœnitentiarius; quem Episcopus elegit in sua Cathedrali, ex vi Concilij Tridentini sess. 24. cap. 8. de reformatione, possit absoluere à casibus reseruatis?

1 Dic resolutè, quòd non potest, nisi aliundè habeat facultatem absoluẽdi à casibus reseruatis, hinc ipse, qui creatus fui, & electus Pœnitentiarius maior in Cathedrali Ecclesia Beneuentana, & eius Diœcesi ab Illustrissimo; & Reuerendissimo Domino Alexãdro de Sangro, Patriarcha Alexãdrino, Archiepiscopo Beneuentano, quem Deus diù conseruet fęlicem, & incolumẽ, ab eodem obtinui facultatem absoluendi à casibus reseruatis, ac etiam, vt alijs Confessoribus approbatis facultatem absoluẽdi cõcedere possem, sicut etiam habebam eandem facultatem, vt Visitator generalis, imò & dispẽsandi in irregularitatibus occultis, in quibus potest dispensare Archiepiscopus; vide Nauarr. de pœnit. & remiss. consilio 20.

QVAESITVM VI.

SVMMARIVM.

1 *Interdicto Capitulo, Canonicus illius Capituli potest sepelliri in loco sacro.*

2 Se-

2 *Secus si Capitulum constaret ex duobus Canonicis.*

An si Capitulum, vel Collegium interdictum fuerit, possit Canonicus, qui est de Capitulo, vel Collegio sepelliri in loco sacro?

1 Dic quòd sic, & ratio est, quia per extrauagantem ad euitanda scãdala, de sepulturis, quis non est euitandus, nisi fuerit nominatim denunciatus, vt excommunicatus, vel interdictus; non obstante quòd Capitulum fuerit interdictum, quia non propter hoc singuli de Capitulo censentur interdicti. Nauarr. consf. 23. num. 5. licet hæc regula Nauar. fundata in Capitulo Romana de sent. excom. in 6. non habeat locum in notoriè excõmunicatis, vel interdictis; & sic Canonicus, vt supra non erat dicendus notoriè interdictus, quia non nominatus; & quia potuit particulariter esse absolutus, vel esse priuilegiatus.

2 Sed contra Nauar. potest opponi, quòd si Capitulum tantum constaret in tribus, vel quatuor Canonicis, siuè etiam duobus, nam vt probauimus in tractatulo nostro, de voce Canonicorum in Capitulo, potest consistere etiam in duobus Collegium, & illud esset interdictum, tunc si ambo mortui essent, non possunt meo iudicio sepelliri in loco sacro, etiam quòd non essent nominatim interdicti, vide Nauarr. loco citato.

QVAESITVM VII.

SVMMARIVM.

1 *Parochus non posset absoluere à casibus reseruatis Episcopo suum subditum.*

An Parochis liceat absoluere subditum suum à casibus reseruatis Episcopo, si credit esse nociuum eum remittere ad superiorem?

1 Dic secundum Nauar. libro quinto de pœnit. & remiss. consil. 24. quòd non potest absoluere; sed Angelus in verbo, casus, in fine: tenet quòd sic, & allegat Panormitanum in Capitulo, quòd dilecto, de consangui. qui id non dicit: ego teneo cum Nauarr. qui tamen ibidem dicit, quòd posset occurrere casus in quo implicetur per regulam Innocentij in c. 1. de constit. & ibi Felyn. num. 49.

QVAESITVM VIII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi non possunt absoluere subditos aliorum Episcoporum, & num. 2.*

An

An Episcopi possint dispẽsare cum exemptis suæ diœcesis, & cum extraneis aliarum; & an possit eos absoluere, & hoc per facultatem concessam à Concilio Tridentino?

1 DIc primo: Episcopos per facultatem Concilij Tridentini non posse hoc in subditos aliorum Episcoporum iuxta Capitulum, indemnitatibus, de electione in sexto, quia verba dispositionis non conueniunt eis subditis, nec etiam dispositio;

2 † Secundo dico, quòd possent Episcopi vtrumq; quãdo exempti renunciant exẽptioni quo ad absolutionem, vel ad dispositionem, & hæc fuit opinio Federici de Senis, consil 14. vide Nauarr. lib. 5. consiliorum, consilio 31.

QVAESITVM IX.

SVMMARIVM.

1 *Animæ non liberantur nisi celebratæ sint missæ, & nu. 2.*

An si legata promissis celebrandis non adimplentur, & Missæ non celebrantur pro liberatione alicuius animæ à Purgatorio, liberabitur anima non obstante culpa hæredis ingrati, vel impij Sacerdotis?

1 DIc secundum Nauarrum loco citato, consil. 32. quòd non liberabitur anima, nisi celebratæ sint Missæ, vt innuitur in c. in litteris de rapt. & ratio est, quòd licet negligentia hæredum non diminuat meritum gratiæ, vel pœnæ, quod meruit testator, iubendo aliqua opera pia, tamen nocet mortuo tardando opem, quæ ei ventura esset, ex executione; idem dicit D. Thomas in quodlibeto sexto art. 13. nec obstat quòd culpa vnius non debeat alteri nocere,

2 quia hoc non est nocere, † sed impedire; vide Nauar. loco citato, consil 32. & tractatum nostrum de Missa, in quo idem conclusimus; secus autem dicas in legante, & de executore testamenti, nam testator habebit meritum legati, etiam si hæres non soluat legatum ob eius malitiam.

QVAESITVM X.

SVMMARIVM.

1 *Includens aliquem in stricto carcere, & paruo cibo cibat eum, si moriatur efficitur irregularis, & num. 2.*

3 *Consuetudo loci potest excusare Iudicem à pœna, sed non à culpa.*

An Iudex fiat irregularis si includit aliquem in arcto carcere vt certè infra paucos dies verisimiliter moriatur, aut si eum cibat tam paruo cibo, qui non sufficiat ad vitam longam, & sic sequitur mors?

1 DIc quòd efficitur irregularis, quia licet damnare illum ad paruum cibum, vel ad arctum carcerem non sit in effectu eum condemnare ad pœnam mortis, tamē idem est si subtrahit necessaria vitæ, vel ita vitam ipsius lædat carcere, vt inde verisimiliter moriatur, Abb. in c. cum non ab homine: de Iudicijs num. 31. Ioannes de Lignano in clem. 1. de pœnit. vbi dicit, quòd carcer deputandus his non debet esse nimis arctus, ità vt infra paucos dies verisimiliter carcerati moriātur, & secuta morte efficiuntur irregulares, vt habetur in cap. nouimus de verborum significationibus; vbi etiam dicitur, quòd istis mors debet esse solatium, & vita tormentū; & quòd pane doloris, & aqua angustiæ sunt sustentandi; idem dicit Decius ibidem, & alij.

2 Baldus tamen in lege de peco. in fine c. ad l. aquil. dicit quòd talis Iudex, seu Episcopus non efficitur irregularis, nisi posuisset in arcto loco, qui careret sufficienti aere, vel si propter cibi paucitatem mors secuta esset; alias non efficeretur irregularis, & ratio est, quia talis Iudicis actus non fuit immediatè caussa mortis, nam ipse voluit pœnitentia afficere reum, & non occidere.

3 Et nec excusaret Iudicem ab irregularitate, quòd ignoraret hesterneos, sed consuetudo loci imponendi talem pœnam carceris, & pauci cibi condemnatis ad mortē posset excusare tales Iudices à pœna, sed non excusat à culpa; vide glos. in c. denique 4 di st. & cap. cū venera. de consue. vide Nauarr. de pœnis lib. 5. consil. consil. 1.

QVAESITVM XI.

SVMMARIVM.

1 *Licitè possit quis locare domum suam meretricibus, & nu. 2.*

3 *Consulens concubinatum peccat grauiter.*

An possit quis licitè locare domum suam meretrici vel vsurario, in qua credit ab eis peccandum esse?

1 DIc vt infra, quòd potest quis licitè locare suam domum, vt supra, non ad peccandum sed ad viuendum sine vllo consensu in peccatum? Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 195. & sic potest quis etiam inseruire tàm vsurario, quàm meretrici, non ad peccandum, sed in alium finem, vt vel in colendis agris, vel coquendo panem, vel in alijs ad vitam necessarijs, ita vt in nullo illorū versuum

(iussio, consilium, &c.) verbo comprehendatur.

Sed nota ad excludendum huiusmo
2 di à peccato, quòd requiritur, vt inseruiēs habeat honestum finem, non autem finem, vt peccet, & dummodò eis peccatum non placeat; & finis honestus posset esse etiam spes mercedis; & ratio est, quia licet hæc obsequia sint proxima peccato, tamen non sunt de sui natura peccatum, Nauarr. lib 5.consil.5. de pœnit.& remiss. sed peccaret seruus si comprehenderetur in vna dictione illorum versuum iussio, consilium, &c.

Hic notā, quòd consulens concubinatum hero, vel alteri non potest absolui, nisi deserat herum, si est seruus, vel nisi reuocet factum, seù opus, si est amicus; vel nisi ei displiceat concubinatus heri, vel amici. Nauarr. vbi supra.

QVAESITVM XII.

SVMMARIVM.

1 *Christianus cum peruenerit ad vsum rationis debet facere actum amoris erga Deum, & num. 2.*
3 *Scire debet Articulos fidei, præcepta decalogi, & Ecclesiæ.*
4 *Debet requirere peritum Consultorem, vt eum instruat.*
5 *Excusatur si eligit opinionem alicuius docti pro securitate suæ conscientiæ.*
6 *Regula circa scrupulum.*
7 *An absoluendus peccans spe veniæ consequendæ per Bullam.*

An teneatur quilibet Christianus scire aliquid generaliter sub pœna peccati mortalis? & quæ?

1 DIc vt infra, quòd quilibet Christianus, vt peruenit ad vsum rationis, debet sub pœna peccati mortalis agere Deo gratias pro beneficijs receptis.

2 Debet scire (maximè si est vir nobilis, & Dominus vassallorum) quæ ad regimen subditorum incumbunt.

Debet scire, (& sufficit ei) articulos
3 fidei, præcepta decalogi. & generalia præcepta Ecclesiæ; & debet scire quæ ad eius statum pertinēt, vel secum habere viros idoneos ad consulendum.

Nota hìc, quòd non excusatur, si credit, quòd eius consultor sciat consilium dare, à quo ipse capiat consilium, cum nesciat, sed debet requirere peritum; sed si fama publica pro idoneo haberetur, excusaretur, etiam si talis non esset.

5 Nota etiam, quòd excusatur si eligit pro securitate suæ conscientiæ opinionem alicuius docti, nō quia placet ei, sed quia est rationi conformior; & eo casu non tenetur meliorem inuestigare, nec doctiores consulere; sed sufficit eum eligere, quem consulat, qui com-

muniter

muniter pro idoneo habetur; & si consultus dicat duas esse super dubio opiniones vtramq; veram, tunc potest eligere quam vult; sed si dicat vnam esse veram, & alteram esse falsam, etiam quòd sit cõmunis, consultor debet sequi quæ dicitur vera, nisi ei constet contrarium, vel si ipse habuerit rationes pro communi.

6 Nota etiam quòd ad discernendũ scrupulum à dubio hæc est regula, quòd dubium est quando intellectus inclinat æquè ad vtramque partem, scilicet affirmatiuam, & negatiuam super aliqua materia peccati, sed scrupulus est apparentia, quæ repræsentatur intellectui contra id quod scit, vel quod credit ità esse, vel quòd cogitat ità esse, vel contra id quod intellectus nec tenet pro vero, nec pro falso; vide Nauarr. de pœnit. & remiss lib.5. consil.10.

7 Nota hìc quòd peccans spè veniæ consequendę per bullam iam concessam, vel postea concedendam, potest absolui virtute eius bullæ, nisi aliud in bullæ concessione exprimetur.

QVAESITVM XIII.

SVMMARIVM.

1 *Mortaliter peccat qui balnea tenet vbi luxuriosè lauantur mulieres.*

An possit absolui qui tenet balnea pro mulieribus, in quarum lotione aliquando lauantes concupiscunt luxuriosè?

1 DIc quòd non est absoluendus qui lauat & mortaliter concupiscit, & consuetudo super hoc est corruptela contra legem diuinam, & naturalem Nauarr. de pœnit. & remiss. consil.7. vbi notatur etiam, quòd qui fornicatur cum amica, & postea multoties eam deosculatur, sine animo iterum fornicandi vnum tãtum peccatum commisit quò ad necessitatem confitendi numerum, quia illa oscula videntur consequentia fornicationis iam habitæ; vide Nauar. in Manuali c.6. nu.28.

QVAESITVM XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Non debet dari Eucharistia bis in eadem infirmitate per viaticum; seu non ieiuno.*

An licitè possit infirmus bis communicari in eadem infirmitate ita vt liceat etiam in secunda vice accipere post prandium, sicut licet in prima vice vrgente necessitate?

1 DIc, regulariter non debet dari communio bis in eadem infirmitate, nam prima vice est præcepti, & secunda vice est con-

filij accipere, vbi adest necessitas, in secundo non licet, imò vt ait Nauarr. vix inuenitur textus, qui probet licere communicare post cibum. Nauarr de pœnit. & remiss. consil. 41. vbi dicit, quod fallit in eò, qui diu ægrotaret, & interim transiret tempus intra quod teneretur accipere iterum communionem, vt sunt Monaci, de quibus habetur in clement. ne in agro, de statu Monacorum.

QVAESITVM XV.

SVMMARIVM.

1 *Peccat mortaliter dans occasionem peccandi.*

An liceat inducere, iuuare, vel rogare alium ad aliquem actum, in quo creditur quod peccabit?

1 DIc vt infra, quòd Nauar. consil. lib. 5. consil. 6. de pœnit. & & remiss. ponit octo rationes, quòd non licet, & probat authoritatibus sac. Can. deinde pro parte affirmatiua ponit nouem alias rationes, quòd non licet, postea concludendo dicit, quòd peccat mortaliter præbendo occasionem peccandi omnis, qui verè consentit in peccatum mortale alterius, vel etiam suum quatenus est tale, & hoc in foro conscientiæ, & coram Deo, sed qui solum præsumitur quòd cōsentit hic in foro exteriori, peccare solummodo præsumptiuè, & proinde qui contentit in aliquem actum suo genere bonū, aut etiam indifferentem, non quatenus est malum, sed quatenus est bonum, vel indifferens non peccat, ita Nauarr. loco citato, qui declarat omnes authoritates pro, & contra citatas. vide etiam in Manuali in præludio, & cap. 14. num. 32.

QVAESITVM XVI.

SVMMARIVM.

1 *Sententia Diui Chrysostomi de dolore fœminæ parturientis si est meritorius.*

2 *Confessor debet imponere pœnitentiam pœnitenti.*

3 *In decisione casuum vsurarum standum est determinationi Theologorum.*

4 *Eleemosyna dicitur à vocabulo Eleo, Græco.*

5 *Non erit satisfactoria eleemosyna quādo donatur alicui causa restitutionis.*

6 *Quando occurrit præceptum dādi eleemosynā, nu. 11. & 12.*

7 *Eleemosyna videtur danda etiā de necessarijs.*

8 *Tribus modis potest quis dare suam substantiam.*

9 *Dominus laudauit eleemosynam,*

vt habetur Lucæ 21.

10 *Sententia multorum Sanctorũ Patrum de facienda eleęmosyna,& in quo casu?*

13 *Quomodo construitur peccatũ non dandi eleęmosynam?*

14 *Quæ dicuntur illicitè acquisita?*

15 *De acquisitis per ludum alearũ non potest fieri eleęmosyna à non valentibus alienare,&c.*

16 *Ante mortẽ facienda erit eleęmosyna, iuxta Ecclesia.*

An dolor mulieris parturientis sit ei meritorius, cum sit propter pœnam peccati introductus? vt Genes.3.

1 DIc ex sententia D.Chrysostomi in Matth.quod de necessitate patiẽter toleratur fit virtus,& sic mulier tolerans illum dolorem propter Deum, vt diuinę satisfaciat volontati,& ordinationi,indubitanter meretur in dolore partus,sicut de alijs ærumnis dici potest vt qui viuit de labore manuum suarum, hoc quæsitum fusius declarauimus in nostra Lucerna Parochorum,quę nunc sub prælo est.

Tandem sciant Confessores nullum pęnitentem eos dimittere debere, sine impositione pęnitentiæ, etiã

2 si non timeatur, quòd recidisset, & etiam si ipsa satisfactio non sit præseruatiua,à futuro lapsu in aliam culpam; nam nunc est de fide id, per Trid. sess. 14. c.8. de satisfact. Ecclesi. can. 15.& ideò hodie non tenendum in hoc cum Caiet. Scoto, Armilla. nec cum Gabriele Biele, & alijs, quid opinati fuere posse pęnitentem, non acceptare quamlibet satisfactionẽ etiam paruam,qui etiam erant intelligendi de satisfactione expiatiua, non autem de præseruatiua, & hoc ante Concil.

3 Sciant etiam Confessores, quòd in decisione casuum vsurarum,est potius standum determinationi Theologorum,quam Canonistarũ in foro conscientiæ, vt diximus etiã in nostra Lucerna Parochorũ D.Th.in quolib. Syl.verb.vsur.1. Tabien eodẽ in principio D.Anton.2.p. tit.1.c.7. § 4. de Butrio, contra Anchoran. & alios.

4 Notet etiã Confessor, quòd eleęmosyna(quæ dicitur ab Eleo Gręco vocabulo, idest miserere) potest esse satisfactoria ad salutem, Archid. in c.non sufficit de pęnit. dist.1. idem ibi prius August. per hæc verba. Non sufficit mores in melius mutare, &c. nisi satisfiat Domino,per pœnitentiæ dolorẽ, & cooperantibus eleęmosynis.

5 Sed aduertendum quòd tunc non est satisfactoria pro peccatis, si dones eleęmosynam,quam teneris alias dare,vt sunt,qui donant, vt dispensatores,sed talis eleęmosyna etiam multum valet,vt ibi.

6 Aduertendum etiam quod est de præcepto dare eleęmosynam de super-

superfluo, & etiam dare eleęmosynam in extrema necessitate constituto D. Thom.2.2. q.32. & habentur in c. pasce 86. dist. & eleęmosyna ab omni peccato, & morte liberat, Tob.c.4. vide Doctores in c. non satis 86. dist. & vide vij. q.1. c. omnis, hinc Iob dicebat, oculus fui cęco, pedes claudo, & pater pauperum.

7 Notandum etiam quod eleęmosina videtur danda etiã de necessarijs ab eo, qui vult esse perfectus, per textum Matth.19. si vis perfectus esse, vende omnia, & da pauperibus; hinc sequitur, quòd, qui omnia dat, etiam dat necessaria, non solũ superflua, sed distinguẽdum est ex D. Thoma l.c.q.32.ad sextum, dupliciter sumi necessarium, vno, sine quo aliquid esse non potest, & de tali necessario, non est danda eleęmosyna; vnde non tenetur quis dare eleęmosynã de necessario, omninò sibi, & suis, nam aliter dans, seipsum, & suos necaret; Alio verò modo sumitur necessarium, sine quo vita conuenienter transigi non potest, secundum statum propriæ personæ, & dare in hoc casu est consilium, & non præceptum, hãc distinctionẽ didici ego à Magistro meo Patre Ioanne Salceto Viro pijssimo, & doctissimo Iesuita in principio prædicabiliũ Porphirij, & nunc ex doctrina sanctissimi D. Thomæ, nam inordinatum esset, si quis alijs donaret, quod sibi necessarium est, vel tantum donaret, quod de residuo secundum proprium statum, & negotia occurrentia, vitam transigere conuenienter non posset.

8 Excipiuntur tria, primum, si quis propter ingressum religionis, omnia Deo dedicat, quia tunc viuere potest alimẽtis Religionis. Secundum si quis bona, quæ donat pro eleęmosyna habet modum facilẽ resarciendi sibi, vt in artifice. Tertium quando quis dat in extrema necessitate alicuius personę priuatæ, vel etiam Reipublicæ, in his tribus casibus laudabiliter aliquis potest sibi subtrahere etiam de his, quæ pertinent ad decentiam status, ita D. Thomas l.c.

9 Notandũ etiam, quod Dominus, vt habetur Luc.21. Laudauit viduã quæ ex eo, quod deerat omnem victum illi, quem habuit, misit, & misericordia debetur omnibus, præsertim, & amplius iusto, c. Non satis 86.dist. & subueniendũ est proximis, c. probanda, & c. cõsideranda eadem distinct.

10 Notandum etiam, quod habens superfluum naturæ, tenetur subuenire alij, etiam quod non appareat pauper extremæ necessitatis, ità Basilius, Ambrosius, & Augustinus, ita etiam sentit in cap. quid dicã 14.q.4. per hæc verba, nonne omnes, qui sibi vident? gaudere conquisitis, eisque, vti nesciunt, alienum possidere conuincimus? & male possidet qui malè vtitur, & superfluum naturæ, & personæ est quod est alienum quoad vsum.

&

& ideò habens non rectè vtendo, iniustè possidet, ideò dispensandũ. Idem Hieronymus probat in c. Hospitalẽ 42. dist. qui ita air. Aliena rapere conuincitur, qui sibi vltra necessaria retinere probatur. Idem Hieronymus exponens, & declarans, quid sit diuitiarum seruitus, ita, vt solet pulchrum, & fructuosum dicit. Audiat hoc auarus audiat hoc Christianus, non posse simul diuitijs, & Christo seruiri, & hæc D. Hieronymus in expositione illius Matth. 6. Non potestis Deo seruire, & Mammone. Venerabil. Beda super illud Luc. 11. quod superest date eleęmosynam, ait: neq; ita facienda iubetur eleęmosyna, vt te ipsum cõsumes inopia, sed vt tui cura corporis expleta, inopem quantum vales, sustentes, & Petrus de Palude in 4. sent. dist. 15. q. 3 expresè dicit hoc cadere sub præcepto; Idem tenet Riccard. in 4. eadem dist. q. 11. & Durandus, & Roman. ibidẽ, quasi mortale pauidi.

11 Cõcluditur ergo; quòd dare eleęmosyna existẽti in extrema necessitate de necessario personæ est sub pręcepto, ex doctrina D. Ambrosij in c. pasce sup. cit. & ex doctrina Gregorij in Homil. per hæc verba; In lege præcipitur; vt diligas proximũ tuũ, sicut te ipsum, quòd minus proximum amare cõuincitur, qui non cum eo in illius necessitate etiam quę sibi sunt necessaria, partitur, idcircò datur pręceptum de diuidendis duabus tunicis cum proximo, hæc Gregor. Diu. Basilius super illud Luc. 3. Qui habet duas tunicas det non habẽti, ita inquit ex hoc docemur, qđ ex omni eo, quod affluit supra proprij victus necessitatem, tenemur erogare illi, qui non habet propter Deum qui donauit nobis omnia. quæ possidemus, hæc Diu. Basilius.

12 Paludanus, Riccardus, Durãdus, & Romanus, in 4. sent. dist. 15. affirmant, teneri quemlibet constituto in extrema necessitate, de necessario personæ subuenire; habes ergo regulam circa eleęmosynæ largitionem necessariam. tàm circa casus particulares, prudentiæ cõmittitur applicatio, vt sciatur vere quis superflua habeat. nã est considerandus status personæ, illius familia puta filij, filiæ, serui, alumni hospites, conuiuæ munificentia, magnificẽtia, & alia, si quæ sunt huiusmodi. Et est benè considerandum, quod necessariũ personæ, non consistit in indiuisibili, & quod est difficile cognoscere, quod est superfluum, quia ex minima circumstantia, potest apparere non esse superfluum, habito respectu ad supradicta, itaq; peccat mortaliter, qui non facit eleęmosynam de superfluo, naturæ, & personæ extremæ pauperi, vt in d.c. Pasce fame morientem. Et hoc pręceptum est affirmatiuum, & obligat pro loco, & tempore, prout videtur habenti superfluum sed constituto in extrema necessitate,

sitate, sed qui beneficia Ecclesiastica possidēt, tenētur maiori obligatione, nam deducto victu, & vestitu, cætera sunt superflua, quia sunt vsuarij, cap. Nulli Episcoporum 11. quæst. 1. & honestè possunt dare consanguineis egentibus, quia præferuntur alijs. Abbas in cap. fin. de pecun. Clericorum, & quod Clericus non debeat habere, nisi victum, & vestitum ex beneficio. habetur ex doctrina diu. Pauli ad Timoth. cap. 6. 1. Epist. ex Archidiac. in c. 1. 12. quæst. & ex Baldo in Auth. excipitur de bon. quæ lib. itaque beneficiati debent dare eleæmosynam, quia, vt dictū est sunt vsuarij, & non vsufructuarij, vide Archid. l. c. & in c. statutū de rescriptis in 6. in §. assessorem, quæ dicit, quòd Clericus est vsuarius, & nō vsufructuarius, & quod bona Ecclesiæ debet dispensare in victu, & in ministris, & quod superest dare pauperibus, aut expendere ad Ecclesiæ vtilitatem, vide Innoc. in cap. indecorum de ætate, & qualitate, qui dicit quod bona Ecclesiastica non sunt in commercio Clericorum, nisi pro eorum necessitate, & seruientium, & pro pauperibus. idē tenent Ioannes Andreas in cap. præsenti de off. ord. in 6. Anchar. & Francus, idem Abbas in cap. cum esses de testam. in 6. licet alij teneant contrarium.

13 Itaque ad constituendum peccatum ob non dationem eleæmosynæ, concurrit hæc, nempè ex parte recipientis, vt appareat vrgens necessitas, nec appareat in promptu, qui, ei subueniat; ex parte verò dantis, vt habeat superflua, quæ secundum statum præsentem, non sunt sibi necessaria, prout potest probabiliter existimari, nec est necesse ad excludendam eleæmosynam, vt præuideat, & consideret omnes casus, qui in vita sua contingere possent, nec extrema necessitas dicenda est, quando quis, missurus est spiritum, sed quando apparet, quod potest mori ob defectum necessariorum, quando possunt ei succurrere, nisi subueniatur, antequam de vita illius desperet.

14 Quando verò quis habeat illicitè acquisita, si teneatur prædicto modo ad eleæmosynam, quod ex doctrina Diu. Thomæ aliquod potest dici illicitè acquisitum tripliciter, vno modo, vt rapina, & de hoc modo non debet fieri eleæmosyna quia debet restituere; Alio modo est quando, quod quis acquisiuit est contra iustitiam in acceptione, & in datione, vt in simonia, & hoc, nec ipse, retinere, nec danti potest restituere, sed est erogandum pauperibus. & idem dicendum in omnibus similibus, vt fusius diximus in nostra Lucerna Parochorum; Alio modo dicitur illicitè acquisitum ex causa; pro qua acquiritur, non quod ipsa acquisitio sit illicita, vt in eo quod mulier acquirit ex

mere-

meretricio, & hæc propè dicitur turpè lucrum, & contra legē Dei, sed in eo, quod accipit mulier, nō iniustè facit, nec contra legē Dei, & de eo potest facere eleęmosynā, sed non pro sacrificio, & potest sibi retinere, nec potest erogare pro sacrificio, nec pro oblatione ob reuerentiam sacrorum, & propter scandalum. Excipe, si mulier acceperit à non habentibus proprium, vide Lucernam Parochorum.

De acquisitis per ludum alearum
15 non potest fieri eleæmosyna, si quis lucretur à non valētibus alienare, vt sunt minores, & furiosi, & similes, vel si lucretur fraudulenter; sed est videndus D. Thom. 2.2.q.32. ad octauum. Nec potest facere eleæmosynam constitutus sub alterius potestate, quādo non habet proprium, itaq; mulier non habens vltra dotem, non potest facere eleæmosynam sine consensu viri expresso, vel præsumpto, nisi in articulo extremæ necessitatis, in quo casu est licitum furarì, & dare eleæmosynam, & hæc satis de eleæmosynis quantum ad nostrum institutum pertinet. Tutius est vt libenter eleęmosynas faciamus, & obseruemus, quod Dominus dixit, quod vnì ex minimis meis fecistis, mihi fecistis & si non possumus dare quantùm sufficiens sit pauperi (vt dixit celeberrimus Concionator Pater Andreas Biscionus Ordinis Prędicatorum) demus saltem quantum possimus pro nr̄is facultatibus, vt inopiæ pauperum subueniatur.

16 Eleæmosynam debet homo facere in vita sua, iuxta illud Ecclesiast. 14. ante mortē benefac amico tuo, idest animæ tuæ, vel Christo in suis membris, & regulariter debet (ad fugiendam vanamgloriam, occultè dari) Ecclesiast. 29. abscōdè eleęmosynā in sinu pauperis de ea dicitur: perde pecuniam propter fratrem, Ecclesiast. 1 c. de ea dicitur, quòd fęneratur Domino, quì miseretur proximo; Prouerb. 19. & glos. ibi, centuplum accepturus, de ea dicitur, benefac humili. & ne dederis impio, v. g. Hystrioni, non intuitu pietatis, sed hystrionatus; de hac Augustinus homo quòd fęneraris homini, fęnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis; de hac dicitur, ne dicas amico, vade, cras dabo, cum statim possis dare; de hac dicitur, quòd debet à se ipso, idest vt prius patri, vel matri, & consanguineis pauperibus: Vide Ecclesiast. 14.

NVNC DE INDVLGENTIIS, QVIBVS REMITTITVR POENA TEMPORALIS Pro peccatis remissis.



QVAESITVM I.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Indulgentiæ quomodo sumitur? num. 2. & 3.*
4 *Thesaurus Ecclesiæ qualis?*
5 *Valor Indulgentiarum in quo consistit? num. 6.*
7 *Quomodo intelligitur clausula in Bullis Indulgentiarum remissio culpæ, & pœnæ?*
8 *Indulgentia Plenaria directè remittit solam pœnam.*

Quot modis accipitur hoc nomen Indulgentia?

1 DIc aliquando sumi pro gratia, seù priuilegio, seù pro dispensatione, vt in cap. 1 de rescript. & in c. vlt. de reg. iuris.
2 Aliquando sumitur pro remissione culpæ, & pœnæ æternę, & sic accipitur sæpè in Scriptura sacra, & apud sanctos Doctores.
3 Aliquando sumitur pro remissione pœnæ temporalis debitæ pro peccatis venialibus, ac etiam pro mortalibus, licèt sit remissa culpa & hoc mõ quæremus de Indulgentijs, & hic notetur quòd ad valorem Indulgentiarum requiritur in concedente auctoritas, in causa pietas, in suscipiente charitas, Valent. p. 1. in fine.
4 Vnde habeas Paroche Thesaurum Indulgentiarum esse in Ecclesia ex redundantibus meritis Christi, & S.S. seù satisfactionibus D. Tho. in 4. dist. 20 art. 3. q. 1. Sil. in V. Indulgentia q. 4 Nauar. de Iubileo notab. 13. & alij. Quia opera pœnalia Christi, quibus pro nobis satisfecit, & meruit salutem, sunt infiniti valoris, & sufficientissima, & S.S. Dei multo plura passi sunt, quàm requirebatur ad remissionem pœnarum debitarum eorum peccatis; Igitur ex huiusmo-

di superabundantia satisfactionū Christi,& S.S.constant Indulgentiæ quæ in vnum collectæ vocantur thesaurus spiritualis Ecclesiæ dispensabilis per Papam,vel Prælatos Ecclesiæ,qui describi potest esse maximam multitudinem operum Christi,& S.S.in superabundantia satisfactoriorum, vnde D. Angelicus Colibet. 10. Christus sanguinem suum fudit, & multa alia fecit & substinuit, quorum æstimatio est infiniti valoris ob dignitatem personæ. Et Salomon dixit; In illa (idest Ecclesia) est Thesaurus infinitus hominibus.

5 Et principaliter, & essentialiter natura, & valor Indulgentiarum consistit in absolutione à pœna temporali debita peccatis remissis,quo ad culpam, seù in relaxatione pœnæ temporalis peccatorum,seù culparū extra Sacramentum,quæ relaxatio fit a Sanctissimo PP. principaliter, & deinde à Prælatis Ecclesiæ mediante potestate Clauium.

6 Non tamen valor Indulgentiarū se extendit ad remittendam culpam,sed tantùm,vt dictum est, ad remittendam pœnam temporalē, quæ remanet post remissam culpam per Sacramentum Pœnitentiæ. D.Thom.& alij in 4. & est communis opinio. D.Antonini 1.p.tit.20. c.3. in principio. Nauar.de Iubilęo notab.10.annot 5.

Et licet in Bullis Indulgentiarum dicatur concessa remissio peccatorum,vel remissio culpæ & pœ-
7 ræ, per id intelligitur tantùm remissio pœnæ tēporalijs Cordub. de Indulgentijs quæst.6. & Nauarr.vbi supra.

Et ratio est,quia peccatum non dicitur plenè remissum, nisi sublata omni eius pœna etiam temporali,tum etiam quia in sacra Scriptura solet accipi peccatum pro ipsa pœna debita peccatis, Hinc 1. Petri 2.Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo,idest pœnam peccatis nostris de bitam, vt apud Apost 2. ad Cor.c.5. Eum enim qui non nouit peccatum pro nobis peccatum fecit:exponit D.Augustinus lib. de verb. Domini sermone 4.

8 Hinc sequitur Indulgentiam etiā plenariam propriè loquendo non remittere culpam, & pœnam, & quando in bullis habentur verba denotantia remissionem culpæ, & pœnæ, id intelligi debet, remitti directè solam pœnam vi Indulgentiarum, sed indirectè, & remissione necessario prius secuta vi Sacramenti remissione culpæ, quæ sēper præsupponitur ad cōsequendam Indulgentiam.

QVAESITVM II.

SVMMARIVM.

1 *Solus Pontifex habet facultatem remittendi pœnas iniunctas in confessione per Indulgentias.*

2 *Episcopus habet facultatem*

cedendi Indulgentias quo ad pœnitentias iniunctas tantum

3 *Verba Indulgentiæ tantum valent, quantum sonat.*

4 *Pontifex absolutè loquens in Indulgentijs quomodo intelligendus?*

An Indulgentia habeat vim remittendi tàm pœnas iniunctas in confessione pro peccatis confessis, quàm iniungendas, vel à Canone, vel à Confessore, vel à Diuina Iustitia?

1 DIc, quod Sanctissimus Dominus noster Papa habet hanc facultatem, siuè per se, siuè per alios inferiores concedendi Indulgentias, tàm per remittendis pœnitentijs iniunctis per Confessorē, quàm iniungendis pro peccatis commissis, & hæc potestas summi Pōtificis colligitur verbis Matt. 6. quodcunq; solueritis, &c. & Pius Quintus S. M. ad preces Episcopi Nardini declarauit per pœnitentias iniunctas intelligi, tàm iniunctas à Confessore quàm iniungendas, vel à Confessore, vel à Canone, vel à diuina Iustitia, vt refert Authen. Thesaur. Cœlest. Indulg. lib. 2 fol. 73.

2 Episcopus autem, seù Archiepiscopus habet facultatem concedendi Indulgentias quoad pœnitentias iniunctas non autem quoad iniungendas, quia sic est limitatum ei à sacris Canonibus, vt ex cap. cum ex eo, & c. nostræ, cap. Romana, de eodem in 6. Itaque concessio Diœcesani concedentis Indulgentias semper est intelligēda de pœnitentijs iniunctis, non autem iniungendis, nisi specialiter haberet hoc concessum à Summo Pontifice.

Sed notandum in concessione Papali de Indulgentijs quoad pœnitētias iniunctas non posse intelligi

3 de pœnitentijs iniungendis, quia verba concessionis Indulgentiarū tantum valent, quantum sonant, & ideo attendenda sunt, nec eorū fieri potest larga interpretatio, sed strictè debent interpretari.

4 Sed quando Papa loqueretur absolutè, non dicēdo, nec iniunctas, nec iniungendas, tunc concessio intelligēda est de vtrisque, & tum remittitur tanta pœna, quanta exprimitur in concessione, vt si Indulgentia concedit cētum annos, centum annorum pœnitentiam remittit. & est communis sententia Doctor. in 4. dist. 20. Sylu. V. Indulg. §. 5. Nauarr. d. c. Iubilæo notab. 10. nu. 7. & seqq. licet Durand. & alij aliter sentiant, sed est probabilior prima opinio. Verū, vt dictum est Sanctissimus Pontifex Pius V. declarauit per pœnitētias iniunctas intelligi de iniunctis, vel iniungendis, & sic cessat omnis controuersia.

QVAE-

QVAESITVM III.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentiæ remittunt pœnam debitam pro peccatis, tàm in foro Dei, quàm in foro Ecclesiastico, & num. 2.*

An Indulgentiæ remittant pœnas debitas pro peccatis, tàm in foro Dei, quàm in foro Ecclesiæ, ideſt, tàm apud Deum nempe illam pęnam, quam Deus taxauit patiendam in Purgatorio pro peccatis remiſſis quo ad culpam, quàm apud Eccleſiam, ideſt illam pęnã, quam iniunxit confeſſor pęnitenti pro peccato confeſſo?

1 DIc, quòd ſic, quia in foro Dei remittitur illa pęna, quam Diuina Iuſtitia taxauit pro tali peccato principaliter ab ipſo Deo ſed miniſterialiter à concedente Indulgentias authoritate à Deo accepta, ſic etiam in foro Eccleſię, quia per Indulgentiam liberatur homo ab obligatione perſoluendi pęnitẽtiam iniunctam, aut iniungendam à Confeſſore, iuxtà quantitatem Indulgentiæ conceſſæ. D. Thom. 4. ſentent. diſt. 20 q 1. & eſt communis ſententia Theologorum in 4. ead. diſt.
2 Et quod fiat talis remiſſio in foro Dei, habetur Matth. 18. & 16. quod vero fiat in foro Eccleſiæ patet ex bullis conceſſionis Indulgentiarũ in quibus dicitur remitti tot annos de pęnitentijs iniunctis, vel iniungendis, & ita Indulgentiæ tranſeunt in locum ſatisfactionum debitarum per pęnis temporalibus peccatorum; Non tamen in locum medicinæ præſeruatiuę à futuris culpis, prout deſeruiebãt ipſæ ſatisfactiones, Itaq; per Indulgentias homo non liberatur à perſoluendis poenitentijs iniunctis, prout ſunt medicinæ præſeruatiuæ à peccatis in futurum, vt communiter fit, & regulariter iniungenda pęnitentia pro peccato mortale.

QVAESITVM IV.

SVMMARIVM.

1 *De nomine Indulgentiæ, & diſtinguit de Indulgentia Plenaria, pleniori, & pleniſſima, & num. 2. & 3.*

An idem ſit Indulgentia Plenaria cum Indulgentia pleniori, vel pleniſſima?

1 DIc, quòd antiquitùs aliqui diſtinguebant huiuſmodi vocabula ſcilicet, vt per Indulgentiã plenariam, ſeu plenam intelligatur remitti omnem pęnam debitã pro peccatis omnibus mortalibus iniunctam, ſeu iniungendam, per pleniorem intelligantur remitti

penitentiæ iniunctæ, & iniungendæ debitè pro omnibus peccatis mortalibus; confessis, non confessis, & oblitis, per plenissimam, vt intelligatur remitti omnem poenam debitam omnibus peccatis mortalibus, & venialibus, siuè cõfessis, siuè etiam oblitis. Maior. 4. dist. 20. q. 2. Nauarr. de Iubil. notab. 8. num. 12. & id conati sunt probare per extrauagan. Bonifacij Octaui. Antiquorum de Poenit. & remiss.

2 Sed dic melius, & probabilius hęc vocabula non distingui nisi quo ad modum significandi, & quo ad maiorem declarationem concessionis, & ad maiorem exhortationem fidelium ad illas consequendas & esse idem. & idem sonare. Sil. V. Indulg. §. 10. Angel. V. Indulg. num. 2 & 3. Sot. dist. 21. q. 2. art. 1. Cordub q. 9. de Indulg. Pater Ioan. ord. min. de Indulg. Itaq; qui consequitur Indulgentiam plenariam, vt decet, si in illo statu moreretur ad Coelũ recta iret via.

3 Sed in quatuor casibus posset hoc non sequi; Primo quando Indulgentia Plenaria, seu plenissima est specialiter concessa de poenitentijs iniunctis, & maior poenitentia pro peccatis remissis fuerat iniungenda, tunc Indulgentia acquisita remittit, & tollit poenitẽtiam iniunctam, non autem iniungendam.

Secundo, quando Indulgentia concessa est de peccatis confessis, & quis obliuione aliqua peccata fuerit confessus, tunc hæc Indulgentia non remittit poenam pro peccatis oblitis in cõfessione, nec etiam, si generaliter confessus fuerit omnia peccata.

Tertiò, quando quis lucratur Indulgentiam plenariam, seu plenissimam in culpa veniali, nã de mortali non est dubitãdum, cum præsupponatur esse ablatum per confessionem, vel contritionem, tunc sicut Indulgentia non tollit culpã, sic nec etiam poenã peccatis venialibus debitam, stantibus culpis venialibus.

Quarto quando quis post consecutam Indulgẽtiam plenariam peccauit mortaliter, tunc etiam si de eo statim conteratur, non tamen tollitur (ordinariè loquendo) omnis poena debita illi peccato, & sic non semper post consequutam Indulgentiam plenariam, quis si in eo statu moreretur, euolat ad coelum, non defectu Indulgentiæ per se sufficientissimè, sed defectu illas, non, vt decet, lucrantis.

QVAESITVM V.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia plenissima non differt à Iubilæo, nisi in casibus reseruatis.*

2 *Vnde dicitur Iubileum, & quid significet num. 3. 4. 5. & 6.*

7 *Antiquitus de centessimo in centesi-*

te,simũ celebrabatur Iubilaum.
8 *Omnes Indulgentiæ suspenduntur tempore Anni sancti.*
9 *Non suspenduntur illæ Indulgentiæ dierum, & quarantanarum.*
10 *Mortuo Pontifice suspensæ Indulgentiæ non reuiuiscunt.*

An Indulgentia Plenaria, seu plenissima differat à Iubilæo?

1 DIc, quod Indulgentia siue plenaria. siué plenissima, quo ad rationem Indulgentiæ attinet, non differt à Iubilæo, quia Iubilæum etiam significat plenariam seu plenissimam remissionẽ omnis poenæ temporalis debitor pro peccatis remissis, vti significat indulgentia plenaria, sed in hoc differunt, quòd in Iubilæo solet etiam concedi simul cum Indulgẽtia plenaria etiam authoritas, vt quis absoluatur sacramẽtaliter à censuris, & casibus reseruatis Sanctissimo D.PP. ac etiam Episcopis, & vt vota commutentur, quod non solet concedi in Indulgentijs plenarijs. D. Anton. 3.p.tit.10 c.6.§.6. Syluest.loc. cit. Cordub. loc.cit.

2 Et Iubilæum deriuat à nomine Hæbreo, Iobel, quod ait glosa interlinealis cap. 25. in Leuit. significat remissionem, & initium, quia per Iubilæum remittitur pęna, & fit principium nouæ vitæ, ita etiam Magist. Histor. super Genes. cap. 14. & Isid. lib. 3. Ethym. Hieron. in Isa. l. 2.

3 Significat etiam plenariã requiem vt interpretatur D. Gregor. c. 12. super Iob, quia anima quæ lucratur Iubilæum tendit ad requiem in Cælum. Ischius interpretatur gloriam Leuit. cap. 15. quia per Iubilæum aperiantur nobis ianuæ gloriæ.

4 Aliqui hoc nomen, Iobel, interpretantur quinquaginta, quia de quinquagesimo in quinquagesimum annum fideles lucrabantur, ita Sabel. lib. 3 Ene. 1. & Polid. Virgil. lib. 8. de inuen. rerum c. 1. & hæc vltima interpretatio videtur colligi ex vltimo cap. numer. vbi habetur, Iubilæus, vel Annus quinquagesimus.

5 Aliqui interpretantur hanc vocẽ, Iobel, idest volens, vel iurans, quasi dicatur quòd non lucrentur offensores Dei nisi voluerint, & iurauerint nouam vitam incipere, & veteris pęnitere.

6 Aliqui interpretantur donum Dei, vt Ioannes Baptista, & Paulus, quasi quod per Iubilæũ Deus magna nobis bona confert, & animæ quæ lucrantur ipsum mirabilia operantur.

Caietanus interpretantur Iobel, idest annus germinis Leuit. c. 15 quia annus Iubilæi, est annus fructiferæ recollectionis.

Nicolaus de Lira super 24. Leuit. interpretatur tubam, & ita etiam Cardinal. Alex. si mura de pęn.

cap.7. quia annus Iubilæi publicabatur tubis,& quia Iobel, significat Arietem,hinc Pagninus, & Augustinus Eugubinus, & Oleaster dixerunt,Iobel significare tubam factã ex cornu Arietis, quod non placet Gratiano in libro de Iubilæo Anni sancti, par.1.

Aliqui dixerunt Iubilæum deriuare à verbo Iubilo, quia sicut Hebræi iubilabant in Anno Iubilæi, quia liberabantur à seruitute,& possessiones reuertebantur ad suos pristinos Dominos, ità Christiani in anno Iubilæi iubilare debent,quia liberantur à seruitute pœnarum, & reuertuntur ad proprium Dominum.

Aliqui dixerunt vt Illustrissimus Toletus & alij de Indulgentijs, deriuare à verbo Hebræo,quod cornu Arietis significat,quia Hebræi sonabant cornu in signum alicuius liberationis, significantes liberationem Isaac per suppositionem Arietis, & quando quolibet quinquagesimo anno fiebat liberatio hoc cornu sonabat, & dicebatur Iubilæum.

Nauarrus de Iubilæo notab.1. nu.2. dicit Iubilæum deriuare à verbo Hebræo, Iobel, & ideo proprius appellari deberet Iobelleum, & sic Iobelleus significat annum quinquagesimum. Hinc ab Ecclesia nomen Iubilæi translatum est ad significandam remissionem concedi solitam in aliquo tẽpore.

Adde quod Ischius Leuit.cap.25.dicit Arietem suppositum in sacrificio Abrami fuisse figuram Christi in cruce, à quo virtus Iubilæi deriuat, qui Aries repertus est inter spinas, quæ Hebraicè dicuntur Sabach, idest remissio, vel donum Dei.

Aliqui dixerunt Iubilæum originem trahere à Iubal primo inuentore musicæ, quia maxima lætitia erat erat inter Hebræos in anno Iubilæi: Aliqui dixerunt Iubilæum significare publicam lętitiam hinc quidam Poëta cecinit, & lætis scopulis audiuit Iubila Cyclops.

Iubilæum Anni sancti antiquitus solebat celebrari de centesimo in centesimum annum, & hic mos fuit seruatus ante Bonifacium Octauum, & ipse celebrauit de ann 1300. deinde Clemẽs Sextus, instituit,vt celebraretur de quinquagesimo in quinquagesimũ annum, & ita celebrauit ann.1350. Gregorius XI. reduxit ad ann.33. Paulus Secundus instituit,vt celebraretur quolibet 25.ann.

Et nota hic quòd hæ reductiones prudenter fuerunt factæ, à Summis Pontificibus, propter humanæ vitæ breuitatem, ita habetur in Bulla Alexandri Sexti.

7 Et quod antiquitus celebraretur de centesimo in centesimum Annum habetur in Extrauag. antiquorum de pœnit. & remiss. & licet Iubilæum apud Hebræos celebrabatur quolibet quinquagesimo anno in memoriam liberationis ex Aegypto, nostrum tamen Iubilæum primitus fuit institutũ,

vt celebraretur de centesimo in centesimum annum ad significandam duplicem lætitiam,& duplicem liberationem nobis virtute passionis Christi factam.

8 Tempore autē Iubilæi Anni sancti, suspenduntur omnes aliæ Indulgentiæ, vt infra etiam dicetur, ità suspenditur facultas dispēsandi,ac commutandi vota, vt latius videre est,tàm in Bullis vocatoris Anni Sancti,quàm in alijs particularibus supra huiusmodi, sic suspēditur facultas, dispensandi, & cōponendi super malæ ablatis,quorum Dominus nescitur, ita etiam facultas eligendi Confessorem.

9 Attamen non suspenduntur Indulgentiæ quæ non sunt plenariæ,vt quarātanarum, vel dierum Indulgentiæ, ità non suspenduntur Indulgentiæ plenariæ,seù Iubilæi,qui sunt intus Romam, vel extra in circuitu, quia declarantur hæc in Bullis Summi Pontificis ita etiam non suspenduntur illæ Indulgentiæ in quorum concessione,ità concessum est vt durent,etiam tempore Anni Sancti; ità etiam durant concessiones factæ confraternitatibus, communione inter eos operum piorum à Religionibus factorum; non suspenditur facultas concessa in bulla cruciatæ in Hyspania,comedēdi oua, & lacticinia in diebus vetitis,nec facultas altaris portatilis, nec facultas celebrandi tempore interdicti,aut summo mane ante horam consuetam,aut similis gratia; Ità etiam tempore anni Sancti possunt eligere Confessorem, qui absoluat à casibus Episcopalibus; Item remanent in suo robore priuilegia confessionalia,vt vocant, concessa personis particularibus. Vide Gratianum in suo tractatu de Anno Iubilęi par.1.c.13.

10 Hic vtiliter sciendum est, quòd in Bullis Summi Pontificis consueuit dici,suspendimus,per hunc annum,&c.& deinde ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, ex quo sequitur, quòd etiam Summo Pōtifice migrante ex hac vita, durat suspensio Indulgentiarum, vsque ad confirmationem, etiam ratio, est,quia sedēs nunquam moritur, itaque est necessarium, vt confirmentur de nouo;vel per viā vnionis renouētur,& hoc est benè aduertendum, D.Anton. in sua Cathec. c.14. lib. 3. & hæc obiter, nunc ad Quæsita.

QVAESITVM VI.
SVMMARIVM.

1 *Indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, vel decem millium annorū. quomodo intelligitur,& num.2. & 3.*

Quomodo intelligatur in Bullis cōcessionis Indulgentiarum quando conceditur Indulgēcia terttę partis,vel quartæ partis peccatorū?

1 DIc,quòd tunc remittitur tertia pars, seù quarta pars pe-

næ debitæ pro peccatis mortalibus,& venialibus remissis, quo ad culpam; Illustrissimus Toletus, vbi supra; nam in peccato duo sunt, nempè culpa,& pœna; Culpa remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ, & pœna quæ erat æterna fit temporalis, & hæc remanet soluenda, vel hic, vel in Purgatorio in futura vita.

2 Quando verò est concessio, mille annorum, vel decem millium annorum,& similium, tunc remittitur illa pęna,quæ remitteretur, si hic homo viueret per mille, vel decem mill. ann. & pęniteret secundum taxationem Canonum, vel secundum taxationem diuinæ Iustitiæ.

Et potest esse quòd homo peccauerit toties & tanto tempore deberet esse in Purgatorio ad purgandam pęnam debitam, quia hic tamdiù viuere, non solitum est, maximè his temporibus; Igitur hic homo per assecutionē Indulgentiæ remanet liberatus ab illa pęna debita pro suis peccatis, pręsuppposito, quòd culpa sit remissa.

3

QVAESITVM VII.

SVMMARIVM.

1 *Irregulares suspensi,& interdicti an lucrentur Indulgentias? & quomodo?*

2 *Excommunicatus iniustè potest lucrari Indulgentias.*

Excommunicatus etiam iustè potest lucrari; & quomodo? eodem.

Vt quis lucretur Indulg. quando debet esse in statu gratiæ? eodem.

3 *Quando conceditur Indulgentia verè confessis, an teneatur confiteri qui non habet peccata mortalia, sed tantum venialia.*

4 *Visitans, vel ieiunans sine proposito adimplēdi alia requisita.*

5 *Religiosus sine licentia sui Superioris, an lucretur Indulgentiam?*

Et quid si quis post lucratum Annum Sanctum de nouo velit lucrari? eodem.

An irregulares, vel suspensi, sine culpa, possint lucrari Indulgentias?

1 Dic quòd sic, vt sunt manchi, vel defectū aliquem patientes,& omnes alij irregulares, dūmodò sint in gratia, lucrantur: sic etiam interdictus ab ingressu Ecclesiæ potest lucrari; quia prohibitio, excludit ingressum Ecclesiæ ad faciendum aliquod exercitium Ecclesiasticum.

Ita etiam Excommunicatus iniustè, potest eas lucrari, quia excommunicatio iniusta non aufert suffragia Ecclesiæ, cap. cum etenim de sent.& rer. Iud. in 6.& iniusta in-

hæc

hoc sensu diceretur excommunicatus ob falsam testificationem, imò & qui iustè est excommuni-
2 catus, si procurat satisfacere, potest lucrari dummodò procuret esse in statu gratiæ. Nauarr. notab. 18. num. 16. de Indulg. & vt sit in statu gratiæ tutior via est, vt à principio confiteatur, vt decet qui lucrari intendit Indulgẽtias, idest antequam incipiat visitare Ecclesias v.g. Sed cõmunior opinio est, sufficere si sit in gratia in vltimo die, in quo lucramur Indulgentiam. Syluest de Indulg. & alij multi Summistæ.

Nota hìc, quòd quando in Bullis dicitur, verè confessi, &c. qui non habet peccata mortalia, deberet saltem confiteri venialia, & adimplere formam Bullæ, sed tamen non habens peccata, & non confitens saltem præterita, adhuc lu-
3 cratur Indulgentiam adimpletis tamen alijs adimplendis, nã quando Papa dicit verè pœnitentibus, & cõfessis loquitur de his qui sunt in peccato mortali. Gratianus de Indulg. par. 2.

Nota etiam hìc, quòd qui visitaret, vel ieiunaret sine proposito confitendi, vel faceret alia requisita, si postea antequam finiatur tem-
4 pus, benè confitetur, nõ est necesse, vt repetat per eum adimpleta, sed si repetat saltem ex aliqua parte benefacit, & iam dictum est, quòd sufficit esse in gratiæ statu, etiam in vltimo die termini.

Nota etiam quòd si quis religiosus sine licentia sui superioris, vult lucrari Indulgentiam, si illa inobedientia, est peccatum, non lucratur, nisi prius confiteatur; & si
5 quis post lucratum semel Annum sanctum, de nouo peccat mortaliter, potest iterũ adimplere requisita, & lucrari, quia Indulgentiam Anni sancti possumus bis lucrari, ante tamen quam labatur. Gratianus l. c.

Cùm verò in aliqua bulla concessionis Indulgẽtiarum habetur, quòd facienti hæc, vel illa opera conceduntur tot quadragenæ, vulgò, quarantene, dic intelligi numerum quadraginta dierum, in quibus secundum taxationem Canonum, pœnitentem pro quibusdam peccatis debebat arctiùs pœnitere, & quadragenæ includebantur infra annum, vel aliud tẽpus etiã pœnitentiæ, vt pro fornicatione debebat Præsbyter pœnitere decẽ annos, sed in primis tribus mẽsibus arctior erat pęnitentia, nempè in pane, & aqua, reliquo tempore remissior. & sic quadragenæ erunt pœnitentiæ asperiores, & arctiores, quæ remittũntur per Indulgentias, & sine Indulgentijs purgandæ essent pœna Purgatorij, si in hac vita pœnitentia non adimpletur.

QVAESITVM VIII.

SVMMARIVM.

1 *Anni, & dies in Purgatorio non computantur quo ad numerum*

dierum, sed quoad atrocitatem pœnæ.

2 *Indulgentia vnius anni ex parte sua æqualem pœnam remittit temporalem debitam peccatis.*

3 *Indulgētia vnius anni plus valet vni quam alteri.*

An si quis lucratur Indulgentiam centum annorum, liberabitur à poena centum annorum Purgatorij?

1 Dic quod anni seu dies poenarum Purgatorij non computantur quo ad numerum dierū, sed quo ad atrocitatem pęnarum, & pęnalitatem, nam est adeò acerba illa pęna, vt vnus dies forsan illarum pęnarum correspondeat centum diebus poenitentię huius vitæ, & sic in Purgatorio Diuina Iustitia vehementius agit ad purgandum pęnas peccatorum, & ideò breuiùs, quàm faceret in hac vita pęnitentia centum dierum, & sic breuiori spatio, quia vehementiori modo, idest ignea pęna. Author Cęlestis Thesauri Indulgent. lib. 2. D. Nicolaus Malnepos Canonicus Regularis Lateranensis.

2 Et hic notandum; quod Indulgētia, exempli gratia, vnius anni, vel duorum annorum ex parte sua æqualem remittit pęnam temporalem peccatis debitam, sed ex parte debitoris, idest peccatoris non æqualem in quolibet remittit, sed maiorem, vel minorem, prout quisq; maiorem, vel minorem tenetur facere pęnitentiam illius anni, vel illorum duorum annorum, extensiuè vel intensiuè, prout exigit rigor Iustitiæ.

3 Hinc sequitur, quod sicut poenitentia vnius anni, vel duorum annorum plus valet illi, qui maiori perfectione illam perficit quā alteri. sic consecutio Indulgentiæ vnius anni, aut duorum, plus valet vni, quàm alteri, qui maiori cum charitate, & deuotione illam consequitur D. Tho. 4. d. st. 20. D. Antonin. 2. p. tit. 13. cap. 3. § 1. Syl. V. Indulg. 8.

QVAESITVM IX.

SVMMARIVM.

1 *Dies, & Anni pœnitentiarum iniunctarum considerantur, vt dies & anni vtiles.*

2 *Pœnitētia mitior requiritur pro minoribus peccatis, sic in Indulgentia.*

3 *Indulgentia remittit pœnitentiam illam, siuè maiorem, siuè minorem, secundum culpæ grauitatem.*

Quomodo conſiderentur dies, vel anni poenitentiarum iniunctarũ, vel iniungendarum, qui per Indulgentias remittuntur?

1 Dic quod conſiderantur, vt dies, vel anni vtiles; ideſt prout cuiq; eſt vtile, & expediens pro remiſſione dictarum pœnarũ, & ſic reſpectu alicuius perſonæ, ſpatium illud poenitentiæ eſt intelligendum, vt continuè ab illa perſona grauis aliqua pœnitentia in qualibet die peragatur. ſecundum rigorem diuinæ Iuſtitiæ, vt remitteretur pœna debita eius peccatis, tunc ergo, reſpectu illius Indulgentiæ tot dierum, vel annorum remittit ei pœnitentiam ei debitam, & ab eo faciendam.

Sed reſpectu alterius perſonæ ficut
2 pœnitentia mitior requiritur pro minoribus peccatis, ſic etiam Indulgentia illi minorem poenam remittit, & minorem poenitentiam iniunctam, ſeù iniungendam.
3 Itaq; indulgentia remittit poenitentiam illam, ſiuè maiorem, ſiuè minorem, prout culpæ grauitas, vel leuitas requirebat, quia ſecundum rigorem diuinæ Iuſtitiæ maior culpa maiorem meretur poenam, & minor minorem. Cordub. de Indulg. q 19. Ang. V. Indulg. §. 30. Sylu. V. §. 8.

QVAESITVM X.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus facere pœnitentiam decem Annorum, ſi lucrabitur Indulgentias centum annorum illi nonaginta anni, qui ſuperſunt redundant in theſaurum Eccleſiæ.*

2 *Indulgentia centum, vel quinquaginta annorum remittit pœnam quam debet quis peragere in hac vita.*

3 *Pœna ſoluenda in Purgatorio nõ reſpondet pœnitentiæ faciendæ in hac vita, & num. 4. & 5.*

Quid ſit de Indulgentia, quæ ſupereſt pro poena alicuius v. g. Ego ſum obligatus facere poenitentiã decem annorum, & cõſequor Indulgentiam centum annorum, illi nonaginta anni, qui ſuperſunt, cui accreſcunt?

1 Dic, quòd per conſequutionẽ Indulgentiæ centum annorum, ſi ad præſcriptum ipſius conſequor, ego obtineo remiſſionem pœnæ decem annorum, quibus debitor erã, & illi, qui ſuperſunt, redundant in theſaurum Eccleſiæ ex quo alijs poſſunt concedi.

2 Et hic notandum, quòd ſicut Indulgentia centũ, vel quinquaginta annorũ remittit poenam, quam

quis debebat peragere in hac vita per illud spatium, si viueret secundum rigorem Diuinæ Iustitiæ, vt dictum est, sic remittitur tanta pęna Purgatorij per Indulgentiã, quando fuisset remissa in illo spatio per poenitentiam, quam, si viueret, peregisset.

3 Notandum etiã quod poenæ soluendæ in Purgatorio non respondent poenitentiæ luendæ in hac vita præcisè, quo ad numerum, & temporis interuallum, vt dictũ est, nam potest esse, vt vnus dies poenitẽtiæ huius vitæ correspondeat duobus, vel tribus diebus in Purgatorio, & ratio est, quia satisfactio, quæ fit in hac vita, est libera, & meritoria, & per consequẽs magis valet apud Deum ad satisfactionem poenæ, quam satisfactio necessaria licèt etiam sit voluntaria, dummodò tamen quæ fit in hac vita in illo die, vel illis duobus diebus, sit notabilis & grauis, vel secundum se, vel respectu feruoris, charitatis, vel contritionis, & hæc est communis opinio Doctor.

4 Nam leuis poenitentia in hac vita non co respondet maiori spatio poenæ Purgatorij, & ita vnus dies poenitentię leuis in hac vita correponderet vni horæ Purgatorij, quia illa est multò maior pęna ratione acerbitatis.

5 Sic etiam poenitentia vnius anni in hac vita, quæ fit leuis, vel mediocris, vt si quis bis in hebdomada ieiunaret, respondebit in Purgatorio duorum, vel trium mensium. Sot. 4. dist. 21. q. 2. act. 1. qui exemplificat de dicẽte semel, Aue Maria, vel de ieiunante semel in mense.

QVAESITVM XI.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia mille, vel decem millium annorum correspondet tempori, quo quis deberet pænitere in hac vita secundum rigorem Diuinæ Iustitiæ.*

Quomodo intelligatur quãdo conceditur indulgentia mille, vel decem millia annorum?

1 DIc vltra ea, quæ supra respõsa sunt, quod potest esse, vt qui peccasset millies, vel decem millies mor. deberet poenitere in hac vita æqualiter, secundum rigorem Diuinæ Iustitiæ, & licèt non posset tanto spatio viuere, teneretur tamen in spatio, quo viuit intentiorem, & feruentiorem poenitentiam facere, & magis continuatam, vt corresponderet spatio centum, vel mille annorum, si viueret, in quibus teneretur agere poenitentiam, aliàs tenetur in Purgatorio.

QVAE-

QVAESITVM XII.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentiæ an remittant pœnitentias impositas in foro exteriori?*

2 *Et an per Iubilæum possit quis absolui ab excommunicatione, seù interdicto nominatim in foro exteriori?*

An Indulgentiæ remittant poenitentias impositas in foro exteriori, vt à Iudice pro aliquo delicto publico, vel quæ imponitur à Guardiano fratribus in Capitulo?

1 DIc, quòd non. D. Thom. 4. sent. dist. 20. artic. 5. quæst. 2. Nauarr. de Indulg. notab. 11. numer. 21. Et ratio est, quia Indulgentia absoluit à poena debita pro peccatis in foro poenitentiali, & ita declarauit fel. record. Gregor. xiij. in concessione Iubil. in anno 1572.

2 Nec Indulgentia absoluit, siue Iubilæum ab excommunicatione, seù interdicto Episcopi in foro exteriori nominatim lato, sed tantùm absoluit in foro interiori, quando exprimitur in Iubilæo a dictis pœnis, & censuris.

QVAESITVM XIII.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia non tollit pœnam peccati venialis, nisi prius tollatur culpa illius.*

An Indulgentia valeat existenti in peccato veniali?

1 DIc, quòd Indulgentia licèt valeat quo ad remissionem pœnarum peccatorum remissorū, quo ad culpam, non tamen valet existenti in culpa veniali, vt benè valeret quo ad pœnam ipsius venialis, si prius fuisset deleta culpa, & ratio est quia nunquam remittitur pœna alicuius peccati, nisi priùs fuerit remissa culpa, & hoc valet etiam in venialibus. D. Antonin. 1. par. tit. 10. c. 3. §. 5.

QVAESITVM XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando requiritur actualis cōtritio, & confessio pro cōsequutione Indulgentiæ? & num. 2.*

3 *Quando pro acquirenda Indulgentia debet quis esse in statu gratiæ?*

4 *Et quando si imponatur ieiunii trium dierum, & Communio die Dominica.*

5 Ieiu-

5 *Ieiunium, & alia opera facta in mortali an valeant pro consecutione Indulgentiæ? & nu.6. & 7.*
8 *Et quid si dicatur in bulla concessionis, vt deuotè, & cum contritione aliquid fiat?*
9 *An consequatur Iubilæum, ieiunans fer.4.6. & sublato prima vel secunda hebdomada, & animo adimplendi cætera confitetur primo die, & absoluitur, si postea non adimpleat?*

An pro consecutione Indulgentiarũ sit necessarium, vt quis actualiter sit contritus, & confessus?

1 DIc, quòd quando bulla dicit, vt pro consecutione Indulgentiarum, quis sit contritus, & confessus, tunc sufficit, vt sit contritus in actu, seu confessus in voto tẽpore debito Palud 4. dist.20. q.1.art.3.Sylu.de Indulg.q.7.Tabien.Indulg §.17.

2 Cum vero in bulla dicitur, vt sit contritus & confessus, & sacra Communione refectus tũc requiritur actualis confessio, ratione cõmunionis, Conc. Trid. sess.13. cap.8. Sed melius est etiam in primo casu, vt præmittatur cõfessio in consecutione Indulgentiarum, quia potest quis de attrito fieri contritus, virtute Sacramenti, maximè quando dicitur, verè cõtriti, & confessi, & ita affirmat Caiet.Tho.1.opusc. tract 15. de Indulg.c.10.D.Anton.1.par. tit.10. cap 4. q.4. Angel. §.17 Cordub. q.24.de Indulg.Nauar.notab.18.

3 Et nota consequentem Indulgentias oportere esse in gratia Dei, non tamen semper actualiter, sed sufficere in illo vltimo puncto, & actu, quo consequitur Indulgentias, vt si bulla dicat volentem lucrari Indulgentiam, visitet talem Ecclesiam, tunc non est necesse, vt sit in gratia à tempore, quo discedit à sua domo, sed quãdo actu Ecclesiam visitat.

4 Sic etiam quando dicitur vt ieiunetur per tres dies ante, & die Dominico communicetur, tunc sufficit, vt sit in gratia in communione, quòd est vltimum pro consecutione Indulgentiæ, & si confiteretur in die Dominico, & eodem die communicaret adhuc lucraretur, & hæc est pia opinio.

5 Itaque si quis ieiunauit in mortali, & quando vult communicare confiteatur sufficit, & ieiunium factum etiam in mortali valebit quo ad hoc; idem de eleęmosynis, & alijs operibus, quæ præcedunt consecutionem indulgentiæ.

6 Sed hic adde nisi illud ieiunare, vel eleæmosyna esset peccatum mortale ratione finis, vt si quis ieiunaret ad decipiendum, vel daret eleæmosynam ad finem trahendi ad luxuriam quia tunc non lucraretur indulgentias, etiam si in fine esset in gratia in vltimo actu lucrandi indulgentiam.

7 Quando verò nō in pluribus actibus, sed in vno consequeremur indulgentiam, vt in dando eleæmosynam, vel in nominando sanctissimum Nomen Iesu, tunc est necesse, vt simus in gratia faciendo illud ad consequendam indulgentiam. Tolet. de indulg.

8 Sic etiam quando in bulla dicitur, qui talia opera deuotè, vel contritus fecerit, tunc necesse est, vt sine culpa illa faciamus, aliàs non consequimur, quia hæc clausula excludit omne vitium etiam veniale, & hic adde Indulgentiam valere etiam ad remissionem pœnarū venialium, remissis culpis. Itaq; debet quis ante consecutionem Indulgentiarum etiam conteri de venialibus, vt consequatur Indulgentias D. Anton. 1. par. titul. 10. c. 3. §. 5. & si diceretur in verbis Iubilæi, vt in hoc concesso à Sanctissimo D. N. Gregorio XV. vt in fer. 4. & 6. & Sabbato ieiunent, & c. & eodem tempore, primæ vel secundæ hebdomadæ confiteantur eorum pecata, &c. & quis habens animum adimplendi omnia confiteatur primo die, & ab soluatur, ab omnibus, etiam censuris, & postea nō adimpleat adimplenda in Iubilæo, tunc dicerem, quia habuit animum adimplendi, & lucrandi, iam lucratus esse Iubilæum & gratias in eo contētas; secus verò dicerem de votis commutatis quòd teneatur adimplere, quando sunt personalia, vel realia. Qui verò cōfiteretur, & nō haberet, animum adimplendi, non lucratur, nec consequitur gratias, quia fictè, imò, nec recedente fictione; & hæc salua correctione, & meliori sententia.

QVAESITVM XV.

SVMMARIVM.

1 *Pro consecutione Indulgentiæ adimplenda sunt omnia, quæ in bulla præcipiuntur, etiam si sit voti adimpletio, & num. 2.*

3 *Et non potens ieiunare, vel facere elemosynam, quid facere teneatur?*

4 *Quis possit concedere Indulgentiam?*

An pro consecutione Indulgentiæ sint adimplenda omnia, quæ in bulla præcipiuntur?

1 Dic, quòd sic, aliàs non lucramur. D. Tho. 4 sent. dist. 20. q. 2. artic. 5. q. 3. quia illud, quod adimpleri præcipitur etiam si esset adimpletio voti, est Indulgentiæ causa, & conditio sine qua nō resultat effectus. Tho. vbi supra.

2 Imò si quis ob infirmitatem non posset ieiunare, vel orare, vel visitare talem Ecclesiam, si bulla eum non excuset, concedendo Confessori vt commutet, non lucratur, etiam si habet voluntatem adimplendi si posset, quia est necessa

riò adimplendum quod præcipitur, & bona voluntas adimplere non valentis, licèt ei nõ deseruiat ad lucrandum Indulgentias, prodest tamen pro augmento gratiæ in via, & gloria in patria D.Tho. 4 dist.20. q.1. art.5.

3 Author thesauri Cœlestis Indulgentiarum tenet consequi Indulgentiam (quando in bulla præcipitur ieiunium, vel eleæmosyna) non valentem ieiunare ex infirmitate, vel ex paupertate eleęmosynam erogare, si loco dictorum piorum operum aliud bonũ opus faciat, vt orare, visitare hospitalia, aut carceres, & simil. quia sic videtur ei interpretanda voluntas Sũmi Pontificis concedentis c.27. qui citat, & hæc est opinio magis pia.

4 Et hic sciatur Indulgentias posse concedi à Summo Pontifice in toto mundo, etiam plenarias, & perpetuas, Item à Concilio vniuersali.

Legatus in sua legatione potest concedere tantùm quadraginta dies, & in dedicatione Ecclesiæ vnius anni, Ita etiam Episcopus, in sua Diœcesi, & Archiepiscopus in Diœcesi, & Prouincia de iniunctis pœnitentijs, Tolet. de Indulgentijs, qui benè probat, & Abbates, vbi habent iura Pontificalia.

QVAESITVM XVI.

SVMMARIVM.

1 *Vnus pro altero non potest lucrari Indulgentiam, nisi in bulla exprimatur.*

An possit vnus pro altero viuo lucrari Indulgentiam?

1 Dic, quòd non nisi bulla id exprimat, vt, vnus homo viuus lucrari possit pro altero viuo diu. Thom.4.sent.dist.20.q.7. artic.5. q.7. 2. sic etiam si exprimeretur, vt pro mortuo possit viuus lucrari, quia tunc potest viuus pro mortuo lucrari.

QVAESITVM XVII.

SVMMARIVM.

1 *Vicini, & de longinquo venientes ad visitandum æqualiter lucrantur Indulgentiam, etiã eiusdem Ecclesiæ, & num.2.*

3 *Veniens ad visitandam Ecclesiam in qua est Indulgentia, & eam clausam inueniens, quomodo lucrabitur?*

4 *Et quid si quis dum moratur in Ecclesia recordatur Indulgentiæ?*

5 *Et quid si quis incipiat facere*

quòd

quod in bullà præcipitur, & interim moritur? & num.6.

An tàm lucrentur Indulgentias qui sunt vicini, quàm qui veniunt de longe ad visitandum locum in quo est Indulgentia?

1 DIc, quòd æqualiter lucrantur facientes id, quod in bulla præcipitur, imò ipsimet clerici, seu præsbyteri ipsius Ecclesię, vbi posita est Indulgentia tantumdem lucrantur dummodò adimpleant quod præcipitur, quia Indulgentia non mensuratur secundum laborem loci, sed secundum volũtatem concedentis D.Tho.4 dist. 20 art.3.q.24.Tabien.V. Indulg. num.22.

2 Sed ijs, qui de longinquo veniunt, labores, & impensæ, quas patiuntur in via, prosunt ad augmentum gratiæ in hac vita.

3 Et hic nota, quòd venientes in Ecclesiam, vt illam visitent, & ibi orent ad præscriptum Bullæ, si clausam inueniunt, & nõ possunt introire, adhuc dicuntur lucrari, dummodò faciant etiam alia, quæ bulla præcipit, & orent ante ipsã Ecclesiam, quia sic interpretatur voluntas concedentis. Tabien. §. 22. Author cœlestis Thesaur. loc.cit.

4 Imò qui venit in Ecclesiam, vel est in ea, vt dicat officium, & ibi recordetur Indulgentiæ, si adim plet quæ bulla præcipit, lucratur ipsam Indulgentiam Author Thesauri, vt supra num.67.

5 Qui vero inciperet facere, quæ bulla præcipit, vt si dum est in via ad visitandum Ecclesiam moriretur, vel aliquo impedimento detineretur, quominùs adimplere posset reliquum, quod bulla præcipit tunc sunt attendenda verba concedentis, an hic lucretur, quia si dicerent verba.

Qui visitat, & facit orationem, lucretur; tunc non lucratur, qui non visitat, nec facit orationem, sed si verbà essent qui visitat, vel qui incipit visitare, tunc, qui inter eundum moriretur, diceretur lucrari.

6 Tum etiam si bulla diceret, qui suscipit crucem, & transit mare ad recuperandam Terram sanctam, lucretur Indulgentiam, tunc qui suscipit crucem, & intrat mare, & moritur antequam perueniat ad locum lucratur, sed si solum suscipit crucem, & non intrat mare, & moritur, nõn lucratur D.Tho. quæst.2.q.8.art.16.Tabien.§.28. summ.Confess.num.349.192.

QVAESITVM XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quãdo in bulla præcipitur eleęmosyna, quanta danda erit à diuite, vel paupere, & nu.2.*

riò adimplendum quod præcipitur, & bona voluntas adimplere non valentis, licèt ei nō deseruiat ad lucrandum Indulgentias, prodest tamen pro augmento gratiæ in via, & gloria in patria D. Tho. 4 dist. 20. q. 1. art. 5.

3 Author thesauri Cœlestis Indulgentiarum tenet consequi Indulgentiam (quando in bulla præcipitur ieiunium, vel eleæmosyna) non valentem ieiunare ex infirmitate, vel ex paupertate eleęmosynam erogare, si loco dictorum piorum operum aliud bonū opus faciat, vt orare, visitare hospitalia, aut carceres, & simil. quia sic videtur ei interpretanda voluntas Sūmi Pontificis concedentis c. 27. qui citat, & hæc est opinio magis pia.

4 Et hic sciatur Indulgentias posse concedi à Summo Pontifice in toto mundo, etiam plenarias, & perpetuas, Item à Concilio vniuersali.

Legatus in sua legatione potest concedere tantùm quadraginta dies, & in dedicatione Ecclesiæ vnius anni, Ita etiam Episcopus, in sua Diœcesi, & Archiepiscopus in Diœcesi, & Prouincia de iniunctis pœnitentijs, Tolet. de Indulgentijs, qui benè probat, & Abbates, vbi habent iura Pontificalia.

QVAESITVM XVI.

SVMMARIVM.

1 *Vnus pro altero non potest lucrari Indulgentiam, nisi in bulla exprimatur.*

An possit vnus pro altero viuo lucrari Indulgentiam?

1 Dic, quòd non nisi bulla id exprimat, vt, vnus homo viuus lucrari possit pro altero viuo diu. Thom. 4. sent. dist. 20. q. 7. artic. 5. q. 7. 2. sic etiam si exprimeretur, vt pro mortuo possit viuus lucrari, quia tunc potest viuus pro mortuo lucrari.

QVAESITVM XVII.

SVMMARIVM.

1 *Vicini, & de longinquo venientes ad visitandum æqualiter lucrantur Indulgentiam, etiā eiusdem Ecclesiæ, & num. 2.*

3 *Veniens ad visitandam Ecclesiam in qua est Indulgentia, & eam clausam inueniens, quomodo lucrabitur?*

4 *Et quid si quis dum moratur in Ecclesia recordatur Indulgentiæ?*

5 *Et quid si quis incipiat facere*

quòd

quod in bulla præcipitur, & interim moritur? & num.6.

An tàm lucrentur Indulgentias qui sunt vicini, quàm qui veniunt de longe ad visitandum locum in quo est Indulgentia?

1 DIc, quòd æqualiter lucrantur facientes id, quod in bulla præcipitur, imò ipsimet clerici, seu præsbyteri ipsius Ecclesię, vbi posita est Indulgentia tantumdem lucrantur dummodò adimpleant quod præcipitur, quia Indulgentia non mensuratur secundum laborem loci, sed secundum volūtatem concedentis D.Tho.4 dist. 20 art.3.q.24. Tabien. V. Indulg. num.22.

2 Sed ijs, qui de longinquo veniunt, labores, & impensæ, quas patiuntur in via, prosunt ad augmentum gratiæ in hac vita.

3 Et hic nota, quòd venientes in Ecclesiam, vt illam visitent, & ibi orent ad præscriptum Bullæ, si clausam inueniunt, & nō possunt introire, adhuc dicuntur lucrari, dummodò faciant etiam alia, quæ bulla præcipit, & orent ante ipsā Ecclesiam, quia sic interpretatur voluntas concedentis. Tabien. §. 22. Author cœlestis Thesaur. loc.cit.

4 Imò qui venit in Ecclesiam, vel est in ea, vt dicat officium, & ibi recordetur Indulgentiæ, si adim plet quæ bulla præcipit, lucratur ipsam Indulgentiam Author Thesauri, vt supra num.67.

5 Qui vero inciperet facere, quæ bulla præcipit, vt si dum est in via ad visitandu m Ecclesiam moriretur, vel aliquo impedimento detineretur, quominus adimplere posset reliquum, quod bulla præcipit tunc sunt attendenda verba concedentis, an hic lucretur, quia si dicerent verba.

Qui visitat, & facit orationem, lucretur; tunc non lucratur, qui non visitat, nec facit orationem, sed si verba essent qui visitat, vel qui incipit visitare, tunc, qui inter eundum moriretur, diceretur lucrari.

6 Tum etiam si bulla diceret, qui suscipit crucem, & transit mare ad recuperandam Terram sanctam, lucretur Indulgentiam, tunc qui suscipit crucem, & intrat mare, & moritur antequam perueniat ad locum lucratur, sed si solum suscipit crucem, & non intrat mare, & moritur, nōn lucratur D.Tho. quæst.2.q.8.art.16. Tabien.§.28. summ. Confess.num.349.192.

QVAESITVM XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quādo in bulla præcipitur eleemosyna, quanta danda erit à diuite, vel paupere, & nu.2.*

An quando in bulla præcipitur eleęmosyna, danda sit tanta à paupere, quanta à diuite, & è contra pro auxilio fabricæ vel aliorum operum piorum?

1 DIc pauperem debere dare, secundum eius statum, & diuitem, secundum eius facultatem, aliàs non consequitur tantum de Indulgentia ipse diues, si dederit, quantum pauper. D. Tho. 4. sent. dist. 20. q. 1 art. 3 q. 23. & alij.

2 Sed alij tenent oppositum, cessat autem omnis dubitatio cùm eleęmosyna taxatur à concedente, vel cum dicitur, quod detur ad arbitrium, cum verò dicit quòd detur secundum facultates, tunc maior est danda à diuite quam à paupere. Et cum taxatur, non excusat paupertas, vt quis possit minus dare, & aliàs, non lucratur Indulgentiam. Viguer. cap. 16. §. 6. licèt mereatur, imò etiam pauperes qui viuunt de eleæmosyna, tenentur dare (vt supra) vt possint lucrari.

QVAESITVM XIX.

SVMMARIVM.

1 *Indulgētiam concessam ad tempus semel tantum quis consequitur à primis Vesperis vsq; ad Occasum Solis sequētis diei, sed concessam in perpetuum, toties, quoties adimplentur in bulla contenta, & num. 2.*

3 *Vtile est, & expediens pluries consequi Indulgentiam, & num. 4.*

An posset quis pluries in vna die lucrari Indulgentiam per se ipsum?

1 DIc, quòd quando indulgentia est concessa ad tempus, verbigratia à primis vesperis vsque ad occasum Solis, aut per octauã, tunc qui visitat illam Ecclesiam ex præscripto bullę etiam pluries, semel tantum consequitur Indulgentiam, sed si diceret bulla toties, quoties visitabit, tunc quoties visitaret, toties lucraretur.

2 Sed si Indulgentia fuisset concessa in perpetuum, tunc quoties vadit aliquis ad visitandum Ecclesiam, & alia adimplet, toties consequitur D Thò. 4. sent. d. 20. q. 1. art. 3. q. 24. Tabien. num 16.

3 Et est vtile, & expediens pluries consequi Indulgẽtias, quia quanto magis quis se exercet in opere bono, maius habet præmium, & maiorem consequitur remissionẽ pœnarum. Imò est vtile, & fortè necessarium, quia forsitan in prima vice nõ fuit in gratia in adimplendis adimplendis sicut posset esse in secunda, vel tertia vice.

4 Imò erit etiam vtile quia post primam vicem potuerit quis incidere in aliquod peccatum, cuius cõtritus de nouo per Indulgentiam

conse-

consequitur remissionem pœnæ, & sic poterit facere, quoties peccabit Author Thesauri num. 33. Imò Iubilæum potest quis bis lucrari; est sententia Gratiani, Carmelitæ, & Enriquez.

QVAESITVM XX.

SVMMARIVM.

1 *Quando consequens Indulgentiam tenetur adimplere etiam pœnitentiam iniunctam à Confessore? & num. 2. & 3.*

An qui pro consecutione Indulgentiæ confitetur, teneatur adimplere pœnitentiam impositam à Confessario?

1 Dic, quòd si pœnitētia est tanta, quanta est Indulgentia, vt pœnitentia est ieiunium triginta dierum, & Indulgentia est totidem dierum. tunc non obligatur adimplendam pœnitentiam Confessarij, quia est ablata per Indulgentiam.

2 Sed melius esset adimplere tùm, quia homo tenetur satisfacere plusquam credi debere, tùm, quia pœnitentiæ iniunctæ, & alia opera pœnalia, non solùm deseruiunt pro diminutione pœnarum peccatis debitarum, sed etiam dāt robur ad resistendum tentationi. D. Thom. 4. sentent. dist. 20. q. 1. art. 3. q. 1.

3 Sed aduertendum, quod quando in Bulla fit mentio de pœnitentia pro consequutione Indulgentiæ, vt si dicatur visitantes talem Ecclesiam. & facientes tale opus pium possint eligere Cōfessarium, qui eis Indulgentiam plenariam elargiatur, & absoluat ab omnibus peccatis, imposita pœnitentia salutari, tunc necesse est vt adimpleatur pœnitentia imposita à Confessario, quia est conditio imposita à concedēte Author Thesauri num. 73. Nota, quòd in electione Confessarij eligēdus est is qui sit ab Ordinario loci approbatus.

QVAESITVM XXI.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo, & quando possumus lucrari Indulgentiam pro animabus Purgatorij? & an pro animabus quæ sunt in inferno.*

2 *An liceat plures cōsequi Indulgentiam pro anima in Purgatorio existente?*

3 *An liberetur illa anima pro qua accipitur Indulgētia, vel alia? & num. 4. 5. & 6.*

7 *Necesse est vt intentio dirigatur erga animam, pro qua liberanda accipitur Indulgentia & num. 8.*

9 *Et quid si Indulgentia concessa*

erit

erit pro viuis,& pro defunctis? 12 Non tamen licet pluries consequi

10 Quid sit orandum, quando in bulla non exprimitur?

11 Duæ vel tres animæ possunt liberari, à quolibet visitante, si bulla dicit quisquis visitans, secus si dicat, visitantes liberent, &c. & num. 12. & 13.

14 Quæ Missa potior sit de Sanctis scilicet an de Requiem; pro liberatione animę è Purgatorio? & num. 15.

An Indulgentia prosit animabus Purgatorij?

1 Dic quòd sic per modum suffragij, quando viui adimplēt pro mortuis quæ adimplēda sunt, & tunc qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, & ita per modum suffragij, idest per modū auxilij, quia suffragar, est auxiliari, alij dicunt etiam per modum absolutionis, vt pręcipuè Michael Medina de Indulg. disput. 17. artic. 37. D. Anton. 3. p. tit. 20. cap. 5 num 6. Sed est melior prima opinio, & communis, & sic semper exprimitur in bullis. Indulgentiæ prosunt mortuis, qui sunt in Purgatorio, non autem, qui sunt in Inferno, & est communis opinio. Licèt Caiet. tenuerit prodesse illis mortuis, qui dum erant viui, lucrati sunt Indulgentias pro alijs mortuis, sed nō è contra, sed probabilior prima opinio, & tenenda.

2 Non tamen licet pluries consequi Indulgentias pro anima in Purgatorio existenti, si semel pro illius liberatione suscepta est Indulgentia, iuxtà tenorem bullæ, quia debemus credere iam liberatam esse. Itaque sufficit, si semel suscipiatur Indulgentia pro liberatione alicuius animę, si sunt adimpleta adimplenda. Si verò illa anima erit in Paradiso, & sic non indiget, vel in inferno, & sic non iuuatur, in tali casu, vel proderit suscipienti pro augmento gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera, vel proderit alteri, pro quo verisimilis ille consecuturus esset si credidisset illum primum esse in Paradiso, vel in inferno, & si alius adhuc non indigeret, prodesset alteri, & sic de alijs dicendum est. Author Thesauri lib. 3. num. 13.

3 Sed hic sciendum, quòd qui lucratur Indulgentiam pro liberatione alicuius animæ ex Purgatorio si intelligit lucrari pro propinquo, illa semper valebit magis propinquo, & si intelligit lucrari pro patre, & ille erit in Paradiso, vel in inferno, valebit matri, vel alteri sibi propinquo, magis propinquo illa non indigente.

4 Si lucratur pro amico, & ille non indigebit, valebit pro altero amico indigenti.

5 Si verò lucrabitur pro illis, qui magis indigent, tunc illis, qui magis indigent valebit, & sic discurrendo ad alios.

6 Si verò lucratur nulla limitatione

pro

pro hoc, vel illo specialiter, sed in communi pro animabus Purgatorij, secundum Dei intentionem, tunc valebit illi, cui prouidentissima Dei liberalitas dispensabit Author Cęlest. Thesaur. lib. 3. nu. 13.

7 Et cum intendit quis lucrari Indulgentiam pro aliqua anima in Purgatorio est necesse vt, vel ore, vel mente, vel intentione ad eam dirigatur, vt ego habendo intētionē erga animam patris mei Ioannis, vel matris meæ Portiæ, vel patrui Sacerdotis Nicolai Angeli, vel aliorum pro eis consequar Indulgentiam adimplendo, quæ ipsi adimplere non possunt, quod credo hucusque me executum esse, Author vt supra num. 14.

8 Et cum in bulla concessionis est liberum pro quacunque anima Purgatorij posse suscipi Indulgentiam tunc poterit quis ad suum libitum, quam voluerit liberare, adimplendo adimplenda, Author vbi supra num. 6.

9 Imò si in concessione erit, vt Indulgentia prosit, & viuis, & mortuis visitando talem Ecclesiam, & orando, tunc potest quis vnica oratione adimplendo cætera, & sibi, & animæ in Purgatorio existenti, prodesse ad illius liberationem, & sufficiat pro vtroque effectu vnica oratio, & si adimpletur reliquum, quod præcipitur, Author vt supra num. 17.

10 Quando verò diceretur in bulla, vt pro consecutione Indulgentię, & pro liberatione animæ à pœnis Purgatorij sit visitanda talis Ecclesia, & ibi orandum nec exprimitur modus orationis, aut finis tunc est orandum secundum modum, qui ponitur in bullis, vt moris est, nēpè pro concordia Christianorum Principum, pro extirpatione hæresum, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ.

11 Et cum in aliqua Ecclesia adesset Indulgentia perpetua, vt quolibet die Dominico liberentur duæ, vel tres animæ à pœnis Purgatorij, tunc si verba sonant, vt quisquis adimplet, quod præcipitur liberet duas, vel tres animas, tunc quisq; adimplendo, liberabit animas quas voluerit.

12 Sed si in bulla dicitur, vt visitantes quolibet die Dominico talem Ecclesiam liberent duas, vel tres animas, tunc omnes simul visitantes, & adimplētes liberabunt duas, vel tres animas, iuxta tenorem Bullæ.

13 Et cum Indulgentia adesset in aliqua Ecclesia perpetuò plenaria, & vt possit liberari vna anima quolibet die, tūc sicut posset quis pro se lucrari plures Indulgentiā plenariam, non tamen posset regulariter, nisi vnam animam liberare, nisi aliter esset in bulla expressum; In qua quando præciperetur celebratio Missę, plus valeret Missa de Defunctis, quàm de aliquo Sancto, quo ad orationes, quia orationes positæ in Missis defun-
14 ctorum plus excitāt deuotionem orātis pro illa anima, & celebran-

tis, quam aliæ de Sancto. Et ideò quo ad orationes est efficacior Missa pro Defunctis, quam de Sancto, sed quo ad sacrificium est idem.

15 Quando verò deuotio celebrantis plus excitaretur dicendo aliam Missam, vt de B. Virgine, vel de passione Domini, aut etiam plus excitaretur deuotio celebrare facientis, tunc hæc Missa etiam quo ad orationes esset efficacior pro mortuo, quam Missa pro defunctis. & ideò non sunt cogendi Sacerdotes ad celebrandum hanc, vel illam Missam pro defunctis, sed liberum sit eis, secundum eorum deuotionem celebrare, nam si celebrabunt de Sancto pro mortuis, loco orationum, quæ dici solent in Missis Defunctorũ supplebit illorum deuotio, & intercessio Sancti, vel meritum passionis, de qua Missa celebratur, D. Thom 4. sentent. dist.45. q.2. art.3. q.1.5.

QVAESITVM XXII.

SVMMARIVM.

1 *An existens in peccato mortali validè suscipiat Indulgentiam pro defunctis.*

An qui suscipit Indulgentiam pro mortuis existens in peccato mortali, sed adimplet adimplenda lucrabitur validè pro mortuis Indulgentiam?

1 Dic, quòd valent mortuis Indulgentiæ à tali pro eis susceptæ, ita Gratianus de Iubilæo par. 1. cap. 14. in fine; quia prætiũ pœnarum non est opus illius, qui illas pro mortuis lucratur, sed est ipsa Indulgentia, & thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum, & opus, quod fit per illum in peccato existentem applicãdo Indulgentias mortuis, fit nomine Ecclesiæ in qua nunquam deest gratia. Tolet. de Indulg. lib. 6. cap. 26. Instruct. licèt alij dicant contrarium, sed est melior sententia Illustrissimi Toleti, qui multa adducit, & citat alios.

QVAESITVM XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quodnam opus faciendum est ad lucrandum indulgentiam quando in Bulla non exprimitur?*

2 *Pro acquirenda indulgentia validè, quę nam requirantur ex parte concedentis, & lucrari volentis?*

An ad lucrãdum Indulgentiam sufficiat quodcunque opus pium, quando in bulla non exprimitur?

1 Dic, quod sufficiat quodcunque opus pium, quod vergat in hono-

honorem Dei, vel in spiritualem vtilitatem, vel etiam temporalem Ecclesiæ, vt esset oratio pro salute proximorum, eleæmosyna, quæ fit membris egenis Ecclesiæ, vel ad subleuandum alicuius particularis Ecclesiæ necessitatẽ, vel aliquam necessitatẽ, vniuersalis Ecclesiæ licèt eleæmosyna immediatè respiceret temporalem Ecclesiæ vtilitatem tamen mediatè refertur ad spiritualem vtilitatem, quatenus indigemus temporalibus, vt spiritualibus vacare possimus; Imò eleæmosyna est opus misericordię, & ideò meritorium, & satisfactorium, si à charitate procedit, & id intellige, quando Bulla tale opus imponit lucrari volenti Doctor, communiter loc. cit. sed quando non exprimeretur opus pium, vt dictum est, tunc ad prædicta, vel similia adimplenda recurrere oporteret.

2 Et hic nota, quod in concessione Indulgentiæ requiruntur alia ex parte concedentis, vt vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ, & aliæ ex parte lucrantis illam, vt aliquod opus bonum, & pium iniunctum à concedẽte vt est orare, visitare Ecclesias, & simil. & hæc est Ecclesiæ consuetudo. Sot. 4. dist. 21 q 2 artic 2. Cordub. de Indulg. q. 15. Sed si daretur Indulgentia pro benedictione mensæ ante prandiũ, vel pro gratiarum actione post prandium, valeret illis, qui bene dicerent, vel gratias agerent.

QVAESITVM XXIV.

SUMMARIUM.

1 *Quomodo visitanda est Ecclesia in qua est indulgentia?*

2 *Indulgentia licet communiter concedatur pro actibus pijs exterioribus, potest tamen etiam concedi pro actibus interioribus faciendis, vel factis, & num. 3.*

4 *Quando pręcipitur absolutè opus pium intelligitur de operibus de consilio, non de præcepto.*

An quando præcipitur ad lucrãdum Indulgentias, vt quis Ecclesiam visitet, sufficiat sola corporalis ingressio sine alia intentione?

1 DIco quòd non, quia posset quis introire vel vt ibi dormiat, vel causa curiositatis, vt picturis animum pascat, sed necesse est, ingredi Ecclesiam animo venerandi Deum, & Sanctos cultu interiori, & exteriori, & hoc est visitare Ecclesiam, & quando additur, vt visitatio fiat deuotè, requiritur vt fiat cum quadam promptitudine in honorem Dei. Sot. & Cordub. loc. cit.

2 Et licèt communiter præcipiatur opus pium consistens in actibus

exterioribus virtutum, quæ refe rũtur ad honorem Dei, & Ecclesiæ vtilitatem, vt est oratio, visitatio Ecclesię erogatio eleęmosynarum, bellari contra inimicos fidei, & simil.; tamen potest etiam cõcedi pro actibus interioribus virtutum, vt pro nominando dulcissimo nomine Iesu corde, vel pro meditatione mẽtali passionis Christi Nauarr. de Iubilæo notab. 71. Cordub. de Indulgent. q 18. Durand. in 4. dist. 20. q. 4.

3 Imò si in concessione Indulgentiæ, non præciperetur pro ea lucranda aliquod opus pium faciẽdum, sed concederetur pro operibus pijs, iam factis, vt cum Papa concedit Indulgentiam Plenariã in articulo mortis alicui probo viro, est etiam valida. Durand. loc. cit. Turrecrem. &c. in c. cum ex eo, & in cap. cum autem, de pœnit. & remiss. Cordub. loc. cit.

4 Et cum præcipitur aliquod opus pium absolutè sine aliqua additione, tunc est intelligendum de operibus pijs de consilio, & non de præcepto, & sic non lucraretur Indulgentiam, quando in concessione diceretur, vt quis oraret, si diceret loco orationis officium, ad quod tenetur de præcepto, licèt & illud etiam posset imponi à cõcedente. Cordub. loc. cit. q. 18. Angel. V. Indulg §. 15. licet Sylu. quæst. 6. de Indulg. teneat contrarium.

QVAESITVM XXV.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus electus, & confirmatus an ante consecrationem possit concedere Indulgentias?*

2 *An Prælati Religionum habeant facultatem eas concedendi?*

3 *Etiam si concedens Indulgentiã sit in peccato mortali, valida est.*

An Episcopi, vel Archiepiscopi electi, & cõfirmati ante consecrationem, vel antequàm sint Sacerdotes possint concedere Indulgentias?

1 Dico quòd sic. D. Thom. 4. sent. dist. 20. art. 4. q. 2. Sot. dist. 20. Sylu. Indulg q. 5. Nauarr. de Iubilæo not. 31. num. 4 D. Bonauen. 4. sent. dist. 20. q. 15. & ratio est, quia concedere Indulgentias est iurisdictionis, & non ordinis, & Iurisdictionis potestatem habent eo ipso, quo sunt elect., & confirmati à Papa, etiam ante consecrationem in Episcopos, vel Sacerdotes cap. transm ss. de elect. sic etiam habent Legati à latere.

2 Hanc facultatem concedendi Indulgentias non habent Abb. & Prælati Religionum, vt Prouinciales, Præpositi, vel Generales, glos. in c. accedentibus de excess.

Prælat.& sic nec simplices Sacerdotes, nec Parochi, nisi ex commissione Sanctissimi Domini Papæ, & ex tali commissione posset etiã simplex Clericus primæ tonsuræ dispensare. Cordub. vbi supra. Dec. in 4.

3 Hinc sequitur concessionem Indulgentiarum esse validam etiam si fiat per existentem in peccato mortali; quia vt dictum est, cùm hæc potestas sit Iurisdictionis, & non ordinis, non tollitur per peccatum mortalem, Dec.loc.cit.4. dist.21. Cordub.& Nauar.loc.cit.

QVAESITVM XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cõcedere Indulgentiam subditis suis tantum, nisi aliter sibi fuerit à Summo Pontifice concessum.*

2 *Papa solum concedit omnibus fidelibus.*

3 *De Ordinarij proprij licentia possunt fideles lucrari Indulgentias ab alijs Episcopis concessas.*

4 *Et qui nam intelligantur nomine ordinariorum?*

5 *Parochi an possint dare talem licentiam?*

An Episcopi, vel Archiepiscopi possint concedere Indulgentias non subditis?

1 DIc, quòd non, sed solummodò suis subditis, & hoc, vel quando celebrat solemniter, vel alijs occasionibus; Ità etiam, & alij, qui habent facultatem à Papa concedendi, non possunt concedere, nisi illis, super quibus habent Iurisdictionem, quia Iurisdictio non potest exerceri, nisi in subditos, & hoc intellige de Iurisdictione ordinaria, vt Episcopi, & Archiepiscopi; nam secus esset, quando quis haberet concessionem à Summo Pontifice dispensandi omnibus, vide Nauar. not. b.31.num.13.de Iubil. Durand. 4.dist.20.q.4.art.2 Angel.V. Indulg.§.2. Sylu.q.5.

2 Sed Summus Pontifex concedit omnibus, quia omnium est ordinarius Iudex, & supremus.

3 Sed non subditi Episcopi, vel Archiepiscopi concedentis Indulgẽtias possent de licentia suorum Ordinariorum lucrari illas, quia Ordinarij, qui possunt concedere Indulgentias, possunt, etiam dare licentiam eorum subditis lucrandi Indulgentias ab alijs concessas. Glos in cap. quòd autem de pœnit. & remiss. Angel.V. Indulg.§. 11. Cordub.q.12.

4 Et hic nomine Ordinariorum, qui possunt dare hanc licentiam, est præcipuus Summus Pontifex

Ordinarius Ordinariorum circa omnes Christi fideles Episcopi, & Archiepiscopi, qui verè Ordinario habent facultatem concedēdi Indulgentias, reliqui verò habent ex delegatione, & hi nequeunt subdelegare hanc facultatem in hoc.

5 Nec Parochi possunt dare hanc licentiam eorum Parochianis, licèt aliter placeat Nauar. not. 31. de Iubil. & Panorm. in cap. quòd autem de pœnit. & remiss. & Paludano 4. dist. 20. q. 4. Sed melior est opinio dicentium non posse, quæ est communis, & extat regula non posse dare hanc licentiam qui Indulgentias non potest concedere.

Sed salua correptione Sanctę Matris Ecclesiæ in hoc, & in omnibus, huius operis diceremus posse Parochos, & Curatos dare hanc licentiam, quia id non minuit Iurisdictionem Superiorum, sed est ad fauorem animæ, & fauores sunt ampliandi, vt est in iure clarissimum.

Quando verò extat facultas Apostolica dandi hanc licentiam non subditis, siuè expresiè, siuè tacitè, tunc cessat omne dubium.

QVAESITVM XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi, & alij exempti, an possint lucrari Indulgentias concessas ab Episcopo loci, vbi degunt? & num. 2.*

An Religiosi, & alij exempti à Iurisdictione Episcoporū, seu Archiepiscoporum, in quorum Ciuitatibus, Diœcesibus, vel Prouincijs cōmorantur, possint lucrari Indulgentias ab ipsis concessas, cum non sint eorum subditi?

1 Dic, quòd sic, quia in hoc non excluduntur ab illorum Iurisdictione ob bonū animæ. Diu. Thom. 4. dist. 20. art. 7. q. 2. Sylu. Indulg. q. 7. Nauar. d. notab. 31. & 32. Cordub. loc. cit.

2 Quòd intellige, quandò pro consecutione Indulgentiæ non est faciendum aliquid contra regulam suæ Religionis, quia possunt lucrari illas Indulgentias, salua regulari obseruantia, aliàs non possent. Palud. 4. q. 4. art. 3. Riccar. 4. artic. 4. q. 2. Nauar. loc. cit.

QVAESITVM XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex, & alij concedentes Indulgentias quomodo possint etiam ipsi illas lucrari, & num. 2.*

An Sūmus Pontifex, & alij, qui possunt concedere Indulgentias, possint, si faciunt ea, quæ, ad illas cōsequendas præcipiuntur, lucrari?

Dic,

1 Dic, quòd fiet non per modũ iudicialis absolutionis concedendo directè, tam alijs, quàm sibi Indulgentias à pœna temporali, vt placuit Durand. & Riccar. in 4. dist. 20. & Caiet. tract. 15. de Indulg. cap. 5. in opusc. nec dispẽsando sibi, sicut alijs, directè thesaurum Indulgentiarum, sed participando, & vtendo Indulgentijs alijs concessis, vt alij fideles, & sic alijs dispensant per modum iudicialis absolutionis à pœna temporali, ipsi verò lucrantur ipsas, participando eas, & vtendo illa parte thesauri concessa alijs, dummodò adimpleant quæ præscribuntur.

2 Hinc sequitur eos consequi talem Indulgentiam virtute Dei, pœnã temporalem illis condonantis, & partem thesauri illis applicantis ad cõsequendum effectum Indulgentiæ non virtute ministri, idest eiusdemmet concedentis, quia in se ipsum non potest iurisdictionẽ exercere, nec conferre Indulgentiã, vt potest in subditos d.d. in 4. communiter. D. Tho. loc. cit. artic. 5. q. 4. Palud. q. 4. artic. 3. Sylu. q. 7. Sot. q. 25. art 4. Cordub. q. 11. & alij de Indulgentijs.

QVAESITVM XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Suffragiũ est applicare pro mortuis Christi satisfactionem, & Sanctorum, & num. 2.*

3 *Indulgentia per modum suffragij est liberare animam ab illa pœna temporali.*

4 *Pontifex viuos liberat à pœnis Purgatorij per modum potestatis absolutionis; & mortuos per modum suffragij.*

Quid est concedere Indulgẽtias per modum suffragij?

1 Dic vltra superius dicta, quod est (vt aliqui volunt) applicare mortuis satisfactionem Christi, & Sanctorum, tanquam suffragium satisfactorium, quod prosit mortuis, infallibiliter ex iustitiæ debito, vel Lege Diuina, vel promissione infallibili, sed solùm via gratiæ, & misericordiæ Diuinæ, sicut Deo placuerit, acceptare pro mortuis tale suffragium ad remittendas pœnas debitas animabus Purgatorij. Caiet. in opusc. 1. tract. 16. q. 5. & 6. Petrus à Sot. de instit. sac. lect. 3. de Indulgentijs, Cordub. q. 13.

2 Alij dicunt esse, quando Ecclesia dispẽsat pro defunctis thesaurum satisfactorium Christi, & Sanctorum tanquã quoddam efficax suffragium satisfactionis, quod iis efficaciter, & infallibiliter profit ad remissionem pœnarum Purgatorij, secundum tenorem Indulgentiæ per viam Iustitiæ, & infallibili Lege Diuina, qua permisit sic illis animabus esse succurrendum,

facti debita applicatione. D.Bonauen.4.sent. dist.20 2. par. q. 1. Sot.q.21.q.2. art.2. & 3. Nauarr. d. notab.21. annot.17. D.Tho.4. dist.45.art.1.q.1. ad 4. & hæc est melior opinio, & sequenda.

3 Alij dicunt quod dare Indulgentiam per modum suffragij est liberare animam ab illa pœna temporali applicando pro illa satisfactionē, aliorum, putà Christi, & Sanctorum in prætium, vt si aliquis habens claues thesauri publici solueret pro debitore centum, hic liberat illum à carcere, sed aliter quàm Iudex, nam Iudex per modum potestatis, & iurisdictionis, ille alius amicus per modum auxilij, quia offert prætium liberato pro ipsius liberatione.

4 Itaq; Pontifex liberat viuos à pœnis Purgatorij per modum potestatis, & absolutionis, & mortuos per modum adiutorij; & suffragii offerendo illud, quod soluere tenebantur, quod suffragium, seu adiutorium est semper certum, dummodò viui faciant pro mortuis, quod possunt, quod illi facere nequeunt, quod in bulla præcipitur, Viui ergo suffragantur mortuis in opere, & in causa, & hanc dicit esse communem opinionem, Tolet. lib 6. de instruct. cap.26. de Indulg.

QVAESITVM XXX.

SVMMARIVM.

1 *Papa per Indulgentias per modum suffragij potest euacuare Purgatorium.*

An posset Pontifex euacuare Purgatorium per Indulgentias per modum suffragii concessas?

1 Dic, quòd potest potestate absoluta, sed moraliter loquendo videtur dicendum non posse contingere casum, in quo id fieri possit. Doct. in 4. dist.20. D.Bonauen. 2.par.q. 5. D.Tho.4. dist.45.q.2.art.3.q.2. D.Antonin. 3.par. titul. 22.cap.5. Caiet. primo opusc. tract.16.q.5. Cordub. q.15. Nauarr. notab.23.

QVAESITVM XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere Indulgentias per modum suffragij.*

2 *Sententia multorum Doctorum circa hanc opinionem, & nu.3.*

An Episcopus possit concedere Indulgentias per modum suffragii animabus Purgatorii?

1 Nauarrus loc.cit. & Medina disput.7. de Indulg. cap.29.

dicunt

dicunt nõ posse, sed solùm Papam id posse facere.
2 D. Thomas 4. sent. d. 20. art. 4. q. 1. Palud. ibid. q. 4. art. 3. dicunt id licere Episcopis de Iure diuino, & de Iure positiuo, secũdum tamen facultatem eis concessam circa Indulgentiarum dispensationem.
3 Canonistæ tenent non posse. In noc. in c. quod autem, & in c. cum ex eo de Indulg. quia iure Pontificio est eis restricta authoritas, vt non valeant, nisi subditis cõcedere Indulgentias, & animæ Purgatorii non sunt eis subditæ, & hæc videtur melior sententia, salua correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ.

QVAESITVM XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones Doctorum de opere pio præscripto in Indulgentias, & num. 2. & 3.*
4 *Opus principale in Indulgentia debet fieri in gratia.*
5 *Debet esse in gratia qui vult lucrari Indulgentias pro viuo, vel pro defuncto, & nu. 6.*

An opus pium, quod præscribitur ad consequendam Indulgentiam sit validum, si vitietur aliqua circunstantia mortali, vel veniali, & impediatur, vel non, consecutio indulgentiæ?

1 ANdrianus 4. de clauibus quæst. de indulg. dicit, si opus pium iniunctum pro consecutione indulgentiæ vitietur aliqua circunstantia peccati etiam minima, impedire effectum, & assecutionem indulgentiarum.
2 Aliqui dicunt, quod si pars principalis operis pij præscripti sit bona, & nulla mala circunstantia etiam veniali, sit vitiata, non impediat assecutionem, & effectum Indulgentiarum, etiam si aliæ partes minus principales sint vitiatæ aliqua culpa mort. veni. vt si quis ieiunaret in peccato mort. vel veniali, dummodò communio fiat in gratia sine culpa. Nauarr. de Iubilæo notab. 47. de voto nu. 46. sic etiam, si quis in visitatione Ecclesiæ ad præscriptum bullæ discederet à domo in peccato, si dũ actu visitat, est in gratia, non impeditur effectus indulgentiæ.
3 Alii dicunt, quòd quando opus, quod præscribitur est ex sui natura, & genere bonum, licèt vitietur aliqua circũstantia mort. vel veniali, si quãdo quis lucratur indulgentiam in vltimo actu sit in gratia, non Impeditur effectus indulgentiæ, vt si præscribitur ieiuniũ, datio eleæmosynæ, & perceptio Communionis sufficit; vt in perceptione Communionis quis sit in gratia, licèt dum ieiunauit, vel dedit eleæmosynam, non fuerit in gratia. Cordub. de indulgent. quæst. 22.

4 Dic resolutè non impediri effectũ indulgentiæ, si opus principale, quando quis lucratur indulgentiam, fiat in gratia, licet alia opera fiant in culpa mor. vel veniali, nisi in tenore bullæ adderetur de aliis operibus vt fiãt deuotè, & à contritis, quia tunc oporteret omnia illa opera esse facta in gratia, sed quando non adest illa clausula, sufficit, si, vt dictum est, opus principale, fiat in gratia.

5 Et de lucrante iuxta tenorem bullæ pro alio viuo, vel mortuo, indulgentias? Dic secundum aliquos debere esse in gratia, & non posse lucrari pro alio, qui est in peccato. Caiet. Diu. Tho. 1. opusc. §. 21. tract. 10. q 2. ad 2. Sot. 4. dist. 25. quæst. 2. art. 8. Angel. §. 15. de Indulgen.

6 Aliqui dicunt, quòd sic, & multò probabilius. Andrianus 4. de clauibus q. de indulg. conclus. 4. Cordub. q. 14. cap. 23 Nauarr. loc. cit. notab. 22. num. 30. qui addunt, siuè illi per se, siuè per alium ministrum faciant illud opus in mort. & hoc procedit dummodò, ille pro quo alter lucratur, sit in gratia eo tempore, quo ille lucratur.

QVAESITVM XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Vt lucretur Indulgentias debet esse contritus, & confessus.*

2 *Consequitur Indulgentias quando quis ad implet verba Bullæ.*

3 *Toties, quoties lucrabitur Indulgentiam quando facit præscriptum in Bulla, & num. 4. & 5.*

Si dicetur in bulla, sint verè contriti, & faciant tale, vel tale opus, si quis non habuerit contritionem alicuius peccati?

1 DIc, quod illius peccati, cuius quis non habuit contritionẽ, nec habet indulgentiam, quia indulgentia tantùm valet, quantùm sonat, licet peccata sint deleta quo ad culpam per veram pœnitentiã. Angel. V. Indulg. §. 20. Antonin. loc. cit. Sylu. Indulg. quæst. 8. Andrian. loc. cit.

Sed pace eorum dicerem? hic habuit veram contritionem, & de vno peccato fuerit oblitus, adhuc lucrari indulgentiam, quia virtualiter, & implicitè habuit contritionem de omnibus, nec fuisset vera contritio, nisi omnium peccatorum præcedente examine conscientiæ.

2 Hic adde, quando in bulla dicitur, vt quis de omnibus, de quibus fuerit verè confessus, indulgentiam consequatur, oportere etiam, & venialia sacramentaliter confiteri. Cordub. quæst. 25. Andrian. loc. cit. quia tenor bullæ est pro confessis, nec aliter, & quando in bulla dicitur Indulgentia duret ad

septem

septem annos,& fimil.incipit primus annus, à primo anno, quo fuerint publicatæ fidelibus P.Pecorarius.

Declaratio aliquorum particularium.

3 QVando in bulla dicitur, qui facit hoc, vel illud, toties lucrabitur indulgentiã, tunc quoties faciet præscriptum in bulla lucrabitur, siuè indulgentia sit in perpetuum, siuè ad tempus, dummodò sit ille in gratia.

4 Sic etiam quando Indulgentia plenaria conceditur ad decenniũ, vel aliud tempus magnum, tunc quoties quis faciet opus præscriptum, lucrabitur indulgentiam, dũmodò rationabiliter possit exequi præscriptum opus,& reiterare, quia si non posset reiterare, vt esset celebrare pluries in die, vel communicare in tali die, tunc non lucraretur, sic etiam non lucraretur, quando quis indiscretè vellet lucrari Indulgentias etiam perpetuas concessas, vt si quis vellet millies ingredi Ecclesiam, & visitare, quia videntur cedere in contemptum,& in deuotionem, quod haud verisimiliter intellexit Sanctissimus D. Papa concedens, & ita esset interpretata concessio. Nauarr. de Iubilæo notab. 31. num. 37.

5 Cum verò quis sæpiùs in vna die visitaret Ecclesiam bona intentione vt sæpiùs Deo debitum honorem persolueret, & vt lucraretur indulgentiam, dicerem lucrari, dummodò non esset tanta iteratio, vt risus, vel contemptus moueretur, vel diceretur irrationabile obsequium.

QVAESITVM XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Comitantes Sacramentum lucrantur Indulgentias.*

2 *Indulgentiam qui semel facit opus præscriptum in bulla lucrabitur.*

An comitantes Sanctissimum Corpus Christi, quibus datur Indulgentia, consequantur semel in die, vel quoties comitantur?

1 PAludanus 4. senten. dist. 20. quæst.4. & alij dicunt semel lucrari. Alij dicunt toties, quoties comitantur. Cordub. q. 32. Sed pro resolutione sunt attendenda verba bulllæ.

2 Quando conceditur Indulgentia audienti Missam in tali Ecclesia, vel in tali die festo, vel feriali, tunc semel tantum quis audiendo Missam lucratur Indulgentiam, & ratio est, quia semel est vsus, vt quis audiat Missam, & voluntas concedentis est interpretanda iuxta vsum; quando Indulgentia est concessa ad certum, & breue tempus, vt à primis vesperis, vs-

que ad occasum Solis, vel infra octo dies, vel decem, vt visitantes talem Ecclesiam certis diebus, putà, festiuis, vel alijs, vel in die Dedicationis Ecclesiæ alicuius per singulos annos, tunc semel tãtum quis potest lucrari Indulgentiam, & est cõmunis Doct. in 4. Nauar. loc. cit. & Sylu. loc. cit. licèt Ang. §. 4. & Rosell. §. 12. de Indulgentia dicant contrarium cum Innoc. sed est melior prima opinio, quia communis, & rationabilior.

QVAESITVM XXXV.
SVMMARIVM.

1 *Pro assecutione Indulgentiæ debemus adimplere opus præscriptum.*

2 *Eodem opere plura, & diuersa bona possumus lucrari.*

3 *Indulgentia in articulo mortis cum præsumpto semel, semel lucrabitur si simpliciter toties, quoties erit in articulo mortis.*

4 *Non expirat indulgentia morte concedentis.*

An qui habet plures bullas Indulgentiarum sibi concessarum, & simul plura grana benedicta, vel cruces, & imagines benedictas cum eiusdem Indulgentijs præcipientibus vnum, & idem opus pium ad lucrãdum Indulgentiam plenariam, vel non plenariam, possit vno, & eodem tempore lucrari plures Indulgentias plenarias, seu non plenarias, iuxta tenorem bullarum?

1 DIc posse dummodò iteratis vicibus adimpleat opus pium pro assecutione Indulgentiæ præscriptum, vt dicere tot, vel tales orationes cum illa, vel illa intentione ad Deum, vel alijs operibus pijs, Cordub. de Indulg. q. 52. Et id procedit etiam si opus pium prescriptum in diuersis concessionibus, sit idem, & ratio esse potest, quia sicut vno, & eodem opere possumus peccare contra plura, & diuersa præcepta, sic vno, &
2 eodem opere possumus plura, & diuersa bona lucrari, sed semper attendas verba bullæ, quia ex cõditionibus positis à concedente pendet resolutio omnium, vt si Indulgentia esset concessa alicui in articulo mortis, & esset additum verbum in vero articulo mortis, tunc lucraretur infirmus in vero articulo mortis, non autem in articulo præsumpto, cùm verò non additur illud verbum, vero, seù præsumpto, tunc intelligendum est de vero, de præsumpto, & de periculo euidenti mortis, in quo qui constituti sunt frequenter mori consueuerunt, vt in febre acuta, vt in tempore pestis, vt in ingressu turbati maris, vt in ingressu periculosi belli, aut specialis certaminis, & simil. & in omnibus his casibus verificatur concessio simpliciter in articulo mortis,

dum-

dummodò adimpleatur opus pro præscriptum, iuxta tenorem concessionis, & ratio est, quia sicut quis potest absolui ab omnibus casibus in articulo mortis, etiam præsumpto, sic & lucrari Indulgentias Nauar. de Iubil. notab. 30. num. 30. Diu. Antonin. 3. parte titul. 10. cap. 3. §. 5. Cordub. q. 36. & alij.

3 Cùm autem Indulgentia conceditur pro articulo mortis præsumpto semel tantùm, tunc lucratur quis semel in articulo mortis præsumpto, sed quando Indulgentia conceditur simpliciter in articulo mortis, & non additur semel, tunc lucrabitur infirmus, quoties peruenerit ad articulum mortis, Cordub. d. q. 36. licèt sentiant contrarium D. Anton. Sylu. & Nauarr.

4 Et Indulgentia non expirat morte concedentis, siuè sit concessa ad tempus, siuè in perpetuum, dummodò non reuocetur, vel suspendatur à successore, vel superiore. D. Antonin. 1. par. titul. 10. cap. 3. §. 3. Sylu. V. Indulg. quæst. 5. Cordub. quæst. 33. Nauarr. notab. 31. & 35.

QVAESITVM XXXVI.

SVMMARIVM.

2 *Indulgentia est adimplenda sicut dicitur in Bulla.*

2 *Iterum incidens in peccata, & censuras absolutas per Iubilæum, non poterit absolui vigore illius Indulgentiæ.*

3 *Durante tempore Iubilæi poterit absolui à casibus reseruatis toties; quoties si inciderit in illos, & num. 4.*

5 *Quando sumpsit occasionem peccandi non absoluitur vigore Iubilæi.*

An stante Iubilæo, vel Indulgentia cum facultate, vt quis possit absolui ab omnibus peccatis, etiam reseruatis, & à censuris, poterit absolui semel tantùm, vel sępiùs, etiam si commiserit in confidentiam Iubilæi?

1 Dic, quod si indulgentiæ sonat, vt semel quis illam intra tempus determinatum lucretur, tunc semel tantùm potest quis assequi, & absolui.

2 Sed si iterum inciderit in eadem peccata, vel censuras, non poterit absolui vigore illius indulgentiæ, nisi de reseruatis, vel censuris oblitis in prima confessione, in qua fuit generaliter absolutus, quę oblita erunt confitenda Confessori approbato, & ab illo de illis, vt non reseruatis, poterit absolui, quia reseruatio fuit ablata per confessionem factam intra tempus præscriptum in bulla.

3 Cùm autem tempus præscriptum in bulla nondum dilapsum est, poterit infra illud quis confiteri, &

absolui, iuxta bullæ tenorem, etiamsi in eadem reseruata, & censuras inciderit, & sic toties, quoties inciderit, durante tempore concessionis, vt est in Iubilæo anni Sancti, vel in alia concessione perpetua, quæ quando est generalis, vt det facultatem absoluendi ab omnibus casibus, & censuris non excluditur peccatum factum in confidentiam indulgentiæ, nisi specialiter excludatur D. Antonin. 1. par. titul. 10. cap. 3. §. 5. Sylu V. Indulgen. quæst. 16. Cordub. quæst. 14.

4 Nec obstat dispositio causæ 11. quęst. 4. Priuil. quia ibi dicit, quòd meretur amittere priuilegium, qui peccat in priuilegium, non quòd de facto amittat, & sic poterit absolui etiam qui peccauit cum confidentia indulgentiæ, vt si negligens fuit in cauendo à peccato, & facilis in consentiendo tentationi.

5 Secus est, quando sumpsit occasionem peccando virtute Iubilæi, ita vt non fecisset, nisi specialiter motus ac spe, nam isto casu, vel similiter credendum est, Papam noluisse dare huiusmodi perditis hominibus ansam peccandi, quia impunitas peccati est maximè illecebra ad illud, vt dixit Cicero.

QVAESITVM XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium, visitatio Ecclesiarum, & confessio sunt opera prescripta in Iubilæo quomodo adimplenda, & num. 2.*

3 *Religiosi possunt absolui à reseruatis in foro conscientiæ tempore Iubilæi sine licentia Superiorum.*

An quando dicitur in bulla, vt ieiunetur die Mercurij, Veneris, & Sabbati, vt visitetur Ecclesia, &c. die Dominico percipiatur Communio debeat quis confiteri ante Dominicam, vel sufficiat, si confiteatur in ipso die Dominico?

1 Dic, quòd sufficit, si confiteatur in ipso die Dominico, sed tutius est priùs confiteri Sot. 4. dist. 20. quæst. 2. artic. 3. Nauarr. loco suo notab. 19. num. 19. nota, vt est sententia Illustrissimi Bellarmini, opera requisita ad lucrandum Iubilæum, debent fieri in gratia, vt subueniatur, necessitati Ecclesiæ tractatu de Indulgentijs, & est etiam aliorum Doctorum.

2 In Bullis modernis Iubilæi additur infra hoc tempus, vbi includitur dies Dominicus ad confitendum, sic etiam posset quis

communicare etiam in alio die sequentis hebdomadæ de consilio Confessoris, quando in bulla exprimitur.

Nota pro Religiosis vltra supradicta eos virtute Iubilæi, seu In-
3 dulgentiæ id concedentis, posse à reseruatis sine licentia Superiorum in foro conscientiæ, quando reseruatio aliorum casuum ex concessione Papæ fuisset concessa Religionis Superiori pro bona Religione, vt illius Religiosi non possent absolui à reseruatis sine licentia Superiorum, sed extra hunc casum, vel quando derogaretur tali indulto, poterunt religiosi absolui à reseruatis, & censuris sine licentia virtute Iubilæi, seu Indulgentiæ id concedentis, iuxta illarum tenorem, & notandum, quòd in ieiunio dum homo exterior ieiunat, homo interior debet orare, Isiodorus.

QVAESITVM XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex habet supremam potestatem dispensandi bona communia, & incerta.*

An qui virtute Bullæ Cruciatę componitur super debitis incertis, quorum legitimi Domini ignorantur, si soluerint aliquam paruam quantitatē pro subsidio Principis contra infideles belligerantis, simul liberabitur à tota quantitate; vt soluendo duos argenteos à debito centum ita vt non debeant restituere residuum?

1 Dic, quòd remanet liber verè, & absolutus à residuo, & ratio est quia Summus Pontifex habet hanc supremam potestatem dispensandi hæc bona communia, quæ pertinent ad Ecclesiā, vt sunt incerta, cui voluerit iusta, & legitima causa intercedente, quæ ad publicum bonum referatur. Nauar. notab. 39. Cordub. q 41. Mens. 4. par. q. 86. memb. 2. num. 2. pro alijs fusius de sacris Indulgentijs remitto Lectorem ad Authores citatos.

QVAESITVM XXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentiæ prosunt Sanctis ad gloriam accidentalem.*
2 *Concessio indulgentiæ est stricti iuris.*
3 *Sententia Diui Augustini.*
4 *Indulgentia potest acquiri pro mortuo per opus existentis in peccato mortali.*
5 *Beneficium Principis latè est interpretandum.*
6 *Indulgentia est adimplenda, vt sonat.*
7 *Indulgentia concessa pro defunctis non extenditur ad viuos.*

8 *Relinquens vnum opus in Iubilæo præscripto remanet absolutus à reseruatis.*

6.

An Indulgentiæ prosint aliquo modo Sanctis?

1 DIc vt infra quod Sanctis prosunt ad gloriam accidentalē, & intelligitur, quādo fideles vtuntur hoc thesauro Ecclesiæ, quia augetur gloria Dei, nam vident superabundantiam suorum meritorum esse in thesauro Ecclesiæ, & quia vident multos saluari per Indulgentias, & augeri numerum Electorum.

Nota hic quod si quis consuetus cōmunicare quolibet die Dominico pro illo die impetrauit Indulgentiam plenariam, si impeditus differt Communionem in alium diē, non consequitur Indulgentiam,
2 quia concessio Indulgētiæ est stricti iuris. Nauar. loc. cit. consl. 35.
3 Nota etiam quod D. Augustinus commendabat Communionem faciendam potius in die Dominico quàm in die feriali.
4 Nota etiam quod potest acquiri Indulgentia pro mortuo per opus existentis in peccato mortale. Nauar. consl. 36. de pœnit. & remiss.

Nota etiam quod quando cōceditur
5 Indulgētia pro defunctis quod liberetur anima alicuius per modū suffragij, si celebretur Missa pro defuncto in tali altari, sufficit quę libet Missa tàm de Sancto, quàm de feria, quàm de defunctis, quia beneficium Principis latè est interpretandū, cùm non distinguit. Nauar. de pœnit. & remi. lib. 5. cōsl. 37.
6 Nota etiā quod si Indulgentia cōceditur ieiunāti, & eleęmosynam
6 facienti die Mercurij, Veneris, & Sabbati vnius hebdomadę, si in vna die prædictorū dierum fecerit tantam eleęmosinam quantā facturus esset in duobus alijs diebus, Nauar. dicit, & probat, quod non consequitur Indulgentiam cōsl. 38. lib. 5. de pœnit. & remiss. & hoc rigore iuris, sed de ęquitate potest teneri, quod lucretur, & quod ita fuit mēs concedentis vide Nauarr. in Manuali cap. 3. num. 23. & seq.

Nota etiam quod Indulgentia cōcessa pro defunctis non extēditur ad
7 viuos, & si dicat cōceditur Indulgentia pro his qui decesserint, vel qui decesserunt, adhuc intellige quod est cōcessa pro defunctis qui decesserunt ante celebrationē pro eis faciendā, Nauar. cit. cit. cōsl. 39.
8 Nota etiam hic, quod qui virtute Iubilæi, v.g. ieiunat die Mercurij, & die Iouis absoluitur etiam à casibus reseruatis si postea non ieiunat die Veneris non tenetur reiterare confessionem, & remanet absolutus pro supposito, quod adimpleuerit adimplenda alia in Iubilæo contenta. Adde quod si adimpleuisset cætera, & ante diem Dominicum moreretur non communicatus adhuc remaneret absolutus, Nauarr. de pœnit. & remiss. lib. 5. consil. 19.

LAVS DEO.

IN

IN LAVDEM INCLYTAE CIVITATIS BENEVENTANÆ,

Et de eius Diuis Tutelaribus.





IT licet, insignis varijs tua gloria caussis
Vrbs Diomedea principiata manu.
Quòd prior Italiæ sis cunctis Vrbibus annis;
Quòd præstes alijs vberiore solo.
Quòd clarum edideris semper genus omne virorum,
Quòdque Vrbs Samnitum prima Ducalis eras.
Quòd reliquis Regni delecta ex Vrbibus vna,
Sedis Apostolicæ sub ditione manes.
Quòd tuus Antistes multas sacra iura per vrbes
Dicat, vt, in valuis aerea sculpta notant.
Quòd dignum Clerum, quòd prisca nobilitatis
Patricios habeas: omnia magna quidem.
At, magis efficiunt claram tria lumina Cæli,
Et magis exornat te diadema triplex.
Hi sunt Mercurius, Barbatus, Barthólomæus,
Tres Diui quorum certa Tutela tibi est.
Sæpè horum propiùs sensisti numina, sæpè
Plena sub his Diuis vota fuere tua.
Hos igitur venerare Patres, venerare Patronos,
Præsidium gentis subsidiumque tuæ
Et viuas fœlix tali sub tegmine dignam
Si te (quod debes) officiosa facis.

PRO DEVOTIS BEATISSIMAE VIRGINIS, INTER QVOS EGO MINIMVS SERVVS, ſed maximè deuotus.

Ex Beato Epiphanio, habetur in Martyrologio Abbatis Mauri diui.

Beata Maria Dei Genitrix Hæbraicas literas, adbuc viuente Patre Ioachino, didicit.






Rat bene docilis, amans doctrinam, laborans, & perſeuerans circa ſacram Scripturam. Opus lanæ, & ſerici operans, mirabilis in ſapientia, ſuper omnes iuuenculas, munda, paucę loqbelę, expeditæ obedientiæ: munda proximationis, ſine auſu, ſine riſu, ſine exorbitatione, ſine furia, bene ſalutans, honorans honorantes eloquens, ſtatura trium bracchiorum, frumentino colore, flauis oculis, recti aſpectus, nigri ſupercilij, mediocris naris, longo vultu, longa manu, digitiſque non fucata, pannis proprij coloris cubitans in orationibus, lectionibus, & ieiunijs, ac laboribus cum tradidit ſpiritum Filio ſuo, 73. annorum erat. Adde pro curioſis hic de Diuo Ioanne Euangeliſta, cui virgo in paſſione commendata fuit à Chriſto, quod mortuus eſt ætatis ſuæ ann. 99. vt legitur in Martyrologio antiquo; & ad tam longęuam ætatem dicitur perueniſſe, quia fuit Virgo, nam naturaliter Virgines ſunt longioris ætatis, quam vxorati, vt docet Philoſophia.

PRO DEVOTIS
DIVI PAVLI
INTER QVOS EGO MINIMVS
ſed maximè deuotus, Theophylatus Peragratio, & Geſta Pauli.

Ex Diuo Ioanne Chryſoſtomo, habetur in principio Actuum Apoſtolorum.





A Damaſco, & viſus eſt, & aſcendit Hieroſolymam, inde Tarſum, illinc Antiochiam, hinc iterum Hieroſolymam, hinc iterum Antiochiam, inde cum Barnaba Seleuciam, inde Cyprum; vbi & Paulus cæpit vocari, ideſt maximè minimus, hinc Derbam, & Antiochiam Piſidiæ, deinde Iconium, & Hyſtriam, & Debam Lycaoniæ; poſtea Pamphyliam, deinde rurſum Derbam; poſtea Attaliam; deinde ruſum tertium Antiochiam Syriæ, rurſum tertium Hieroſolymam propter Circuncisionem; deinde rurſum quartum Antiocham, poſtea peragrauit Syriam, & Ciliciam; deinde iterum, Derbam, & Hyſtriam, vbi Timotheum circuncidit. Deinde profectus eſt in Phrygiam, & Galatiam; deinde Myſiam, poſtea Troadem, iilinc Neapolim; inde Philippus Macedoniæ, hinc peragrata Amphypoli, & Apollonia, venit Theſſalonicam; deinde Berroxam, & Athenas, poſt Corynthum, & Epheſum; inde Cæſaream, hinc iterum Antiochiam Piſidiæ, inde Galatiam regionem & Phrygiam, hinc iterum Epheſum, deinde peragrata Macedonia, venit in Græciam, atque inde peragrata Macedonia, ite-

rum

rum in Philippos, à Philippis Troadem rursum, vbi Euthicum lapsum excitauit, his verbis, Anima in eo est, hic iuuenis audient sermonem Pauli dulcedine illectus ceciderat à fęnestra, & mortuus deferrebatur, ibi produxit sermonem vsque ad mediam noctem.

Hinc Asson, & Mysilinem, mox ad loca sita regione Chij; hinc Samum, inde miletum, vnde accersitis adde Ephęsijs sermocinatus est, ac vale dixit, hinc in Corim, mox Rodum, inde Patara, deinde Tyrum; postea Ptolemaida, inde Cæsaream, inde rursum quartum Hierosolymam, inde Cæsaream, ac deinceps Romam vinctus transmissus est.

Ita à Cæsarea venit Sidonem, inde Myraliciæ vrbem, mox Guidum, inde multa passus venit in Insulam, vbi vipera morsus incolumis, hinc Syracusas, inde Regiũ Calabrię, inde Puteo'os, atque pedes Romam, & fratres obuij illi facti sunt, vsque ad forum, & tres tabernas, & deinceps Romam ingressus martyrium subijt, peracto prius pulchro inibi certamine; Conclude, vt ait Diuus Chrysostomus, quia Paulus, amplius quam omnes laborauit.

Ragucius in fine huius Operis.

Sint pro completo, laudes, tibi Christe labores,
Et mihi, atque alijs auxiliare tuis.

Submitto omnia correctioni Sanctæ Sedis Apostolicæ: Ego Antonius Ragucius manu mea.

FINIS.

Vidi hunc librum, & cum nihil contineat, quod orthodoxæ Fidei, bonisque moribus aduersetur; censeo typis committi posse.

Alexander Russus Canonicus Deputatus.

Recensui hoc opus, & vt refertum pia doctrina, aque Catholica, potest prælo dari si ita placet Dominationi Vestræ Reuerendissimæ.

M. F. Felix Milesius August. Deput.

Imprimatur.

Lælius Tastius Vicarius Generalis.

NEAPOLI,

Ex Typographia Octauij Beltrani, M. DC. XXVI.

Sumptibus Io. Antonij Farinæ, & Andreæ Palatini.

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Collectus solertia D. Io. Andreę Fratini V. I. D. Prothonot. Apostol. Archipresbyteri Terrę Gildonis.

Atque in ampla Diœcesi Beneuentana Iudicis, ac Examinatoris Synodalis.

A

Dd Angeli

Deus

I N D E X.

C

Corpus

I N D E X.

diuini-

sed


Modus

R

fęminæ

Summus

FINIS.



ERRATA, Sic CORRIGITO.

Pag.5.nu 14.nó ambiguo. cor.nó ambigo
pag.9.num.4. Et igitur. corrig. Est igitur
cod. num. conseruet. corrig conseruat.
pag.10.num.1. Summarij.Et quod immediate.cor.quod non immediate.
p.11.n.6.Ecclesiastica. c. de Ecclesiastica. eod. num Magistra. corrig magistræ. & num.3. Summarij.vitum. corr. vitam.
pag.14.nu.7 Summarij.Maioris efficaciæ. corr.maiorem efficaciam.
pag.15.nu.1.Et queçunq; operatur,meritoriè operatur,&c.cor.Et quæcũq; operatur virtuosa, meritoriè operatur, &c.
pag.16.nu 5. Lectori cor.Lector. & eod. nu.vasculo,cor.vasculum.
pag.19. nu.2. Nu'lũ.n.bonũ opus est sine perseuerantia: cor. nullũ.n.bonum opus habet præmiũ sine perseuerãtia.& nu.2. augeretur,cor. angeretur.
Pag.20.nu.3. interij, cor.interijt.
Pag.20. nu.1. In optima, & temperate à Deo creati,&c.sensus obscurus.
pag.22.nu.7.Ioanne.cor. Ioannes,& eod. num.annis.corr.annorum.
Pag.23.n.4.Et pp dieta, & ppterea dieta.
Pag.27.nu.1.licet: corr.sicut.
Pag.28.nu.4.viuat:cor.iuuat.
Pag.30.nu.5.celebris.cor. celebres.
Pag.33.nu.13. nihil qui eo in Senatum. cor.nihil coinquinatum.
Pag.40.nu.11.præmittit,cor.permittitur
Pag.42.nu.6.Summar.census, corr.sensus.
Pag.51.nu.1,istas.cor.istos.
Pag.53.nu.5.dedoctæ. cor. doctæ.
Pag.55.n.15.hæc æternæ cor.hæ æternæ
Pag.58.nu.7.quia sufficit: sunt superflua.
Pag.61.nu.6.lege naturæ saluari poterãt: c.in lege naturæ cũ gr̃a saluari poterãt
Pag.60.n.2.in perpetuã, cor.in perpetuũ.
Pag.71.num.4. opera, corr. opem.
Pag.72.nu.3.pro loca, corr. per loca.
Pag.73.nu 1.Summar. ponam cor.pœnã.
Pag.77.nu.1.sed intellige in generali, nõ tamẽ in particulari. cor sed intellige nõ tantũ in generali.sed ẽt in particulari.
Pag.80.n.1.sequeretur hos necessario saluari:cor.viderẽtur hi necessario saluari.
Pag.83.in tit.quis patietur.c.qui patiẽtur
Pag.91.Summarij num.1. sensus dubius.
P.96.n.1.ad integritate, c.de integritate.
pag.97.quorũ incerta. cor. quorũ certa.
p.102.nu.4.q facturi sunt,c.q futuri sunt.
p.104.nu.16.quia reprobi,sunt superflua.
pag.105.nu.4.cadet terra:cor.cadentia.
pag.112 nu 30.sa eum.corr.facta est.
p.113.n.37.vitia.cor.vitio:& eod.nu.Hũc cor.nũc.& n.7.Sũmar.duplox,c.duplex.
pag.114.nu.17 aduersitas cor diuersitas.
pag.115.nu.3. ad in æternũ c.ad æternũ.
pag. 116. num 11. videt. corr.vidit.
pag.119.nu 35. Augustinus. cor.Augustinum, num.28. licer, cor. licet.
pag 120.nu 10.Sũmar.intẽtus, c intẽsius.
pag.121.nu.1. inspidis. cor. iaspidis.
pag.126.nu.33.gioria.cor g'oria,& n 35. generatiue,& nutritiue, cor.diphtong.
pag.129.n.6. proprius,cor.propius,& n 7. præterquã quid,c.qd,& n.8.insut.c.visu.
pag.131 Sũm.n.6.nõ recipia',c nõ recipit
pag.133 num.7. actum. corr. aptum.eodẽ num.glorificato cor.glorificati.& nu 9. & ila, corr. & illa.
pag.130 nu.16 imo videbunt etiã incorporea: corr.non tamen videbunt incorporea, licet aliqui id affirment.
pag.162.nu 1.debet sub pœna pecc.mor. &c.cor secundũ aliquos debet sub pęna peccati mortalis,&c.
pag.153 nu.5 quod situs Sanctissimæ Trinitatis corr. & supple, secundum huma num modum loquendi.
Pag. 136.num.5.Summ.cerpus,cor.corpus
Pag.141.num.17.erit,cor.erat,
Pag. 142.num.5.tangam, cor. tangant,
Pag.146.num 1.non corpore.cor.capere. & nu.5.noa corr.non
Pag.148 nu.4 Sũm creatus. cor.creatus.
Pag.150 num 5.Hæc.cor.nec, & num 3. grauiur, corr. grauius.
Pag.152. tit.carnos, cor. casu os. num.2. postea, corr. potuissent.
Pag.156.num.3. dicerem,corr.dico.
Pag. 159 tit.parochos.cor. parocho.
Pag.161.num.3.hosterneos. cor. e.ternos.
Pag.171.num 4.colibet cor q ' dlibet.
Pag.172.num 3.Summ.sonat cor sonant. & num.1. per remittendis, cor pro
Pag 173 per pœnis, corr pro
Pag.175 num. debitor corr. debitre.
P.210.in pẽtam.d.st.& mihi,at), alija co.

